This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1817
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

v. Crasso in Laudatione pag: 42.

BX
6195
.G87

Grotius, Hugo
7/34

ORDINVM HOLLANDIAE AC VVESTFRISIÆ PIETAS

AB

Improbiſſimis Multorum Calumnijs, præſertim verò à nuperâ SIBRANDI LVBBERTI *Epiſtolâ quam ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit vindicata:*

Per

HVGONEM GROTIVM Eorundem Ordinum Fiſci Advocatum.



AVCTORITATE PVBLICA

Senatus Delegatorum ab Ordinibus Hollandiæ & Weſtfriſiæ
Excudit

LVGDVNI BATAVORVM
Ioannes Patius, Iuratus & Ordinarius Academiæ
Typographus Anno 1613.

Printed in the Netherlands

Hist. mod. Europ.

DEMETRIVS CHOMATENVS
ARCHIEPISCOPVS BVLGARIÆ ad Conſtantinum Cabaſilam.

Ὁ βασιλεὺς γὰρ οἷα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης καὶ ὤν, καὶ ὀνομαζόμενος, καὶ συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται. ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ καὶ πολιτείᾳ τῶν τοῦ βήματος. Ναὶ μὴν καὶ δίκαις ἐπισκόπων, καὶ κληρικῶν, καὶ πρός γε χηρευουσῶν ψήφοις ἐκκλησιῶν· ἀνάγει δὲ καὶ ἀπὸ ἐλάττοις τιμῆς εἰς μείζονα· δηλαδὴ ἀπὸ ἐπισκοπῶν εἰς μητρόπολιν, ἢ ἀνδρὸς ἀρετὴν ἢ πόλιν τιμῶν· καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν, τὰ λοιπὰ ἀρχιερατικὰ προνόμια σαφῶς εἰκονίζει ὁ βασιλεὺς ἐφ' οἷς πράττει νομίμως τε καὶ κανονικῶς.

ID EST,

Imperator vt communis in Eccleſiis ſapientum Princeps & re & nomine, Synodorum placitis præſidet, & auctoritatem ipſis largitur: Eccleſiaſticas ordinationes diſponit, & legem ponit vitæ atque officio eorum qui altari inſeruiunt: quin & iu-

diciis Epiſcoporum & Clericorum, & electioni Eccleſiarum vacantium. Promouet inſuper à minori dignitate ad majorem, puta ab Epiſcopali ad Metropolitanam, honorem eum exhibens aut vrbi aut homini. In ſumma, excepta duntaxat ipſa ſacrorum functione, cætera omnia iura pontificalia manifeſtè exprimit Imperator, quibus in rebus agit conuenienter & Legibus & Canonibus.

PETRVS DE FERRARIIS

PAPIENSIS PRAXI SVA

Titulo, de Formula libelli quo agitur ex Subſtit. §. Ex ſuo corpore. Num. IV.

Nam ſcire debes tu ignare (Laice) quod imperium aliquando habuit vtrunque gladium, temporalem ſcilicet, & ſpiritualem, adeò quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica per vniuerſum orbem, & amplius eligebant Papam.

PETRVS

PETRVS MARTYR IN

C. VIII. SAMVELIS.

Quod ad Eccleſiaſticam poteſtatem attinet, ſatis eſt ciuilis Magiſtratus. Is enim, vt ait Ariſtoteles in Politicis, curare debet vt omnes officium faciant, vt Iuriſconſulti, vt Medici, vt Ruſtici, vt Pharmacopolæ, inter quos etiam poſſumus annumerare Miniſtros & Concionatores. Quid hic opus eſt multiplicare capita?

THOMAS BILSONVS

Epiſcopus Wintonienſis de perpetua Eccleſiæ Chriſti gubernatione,

C. X.

Gladium Deus nec in ciuilibus, nec in Eccleſiaſticis cauſis Principibus tradidit, vt iuſtitiæ & iudicio præcurrat, ſed vt ſubſequatur potius & ſubſeruiat eis. Gladius e-

nim, remoto iudicio, vis & furor eſt: eo adiuncto iuſtitia & æquitas. Non poteſtis ſimul Magiſtratui gladium concedere, & iudicium in his caſibus Presbyteris veſtris reſeruare. Ita enim quicquid Laici iudices decreuerunt, Magiſtratus ratum habere tenebitur: adeoque gladius non præſidebit eis, ſed ſubjicietur. Quocirca in moderandis reformandiſque Paſtorum actionibus, examinationem, deciſionem, executionemque Chriſtiano Magiſtratui prorſus tribuere, non inter Principem & Preſbyterium diuidere debetis.

FERDINANDVS

FERDINANDVS VASQVIVS

Philippi Hiſpaniarum Regis Senator Lib. II. Controuerſiarum Illuſtrium, Cap. 51.

Hinc colligebam expeditum fixum atq. indubitatum haberi debere potentiſſimo Hiſpaniarũ Regi, & domino noſtro etiam hodie integrum ſaluumq. eſſe ius, & facultatem conferendi omnes Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Præbẽdas, Dignitates, Perſonatus, Rectorias, beneficiaque omnia Eccleſiaſticis perſonis per vniuerſam Hiſpaniam, non ſecus quam olim, neque id ius nulla ex parte præſcriptionis, conſuetudinis, vel alia quauis ratione aut occaſione immutatum, debilitatum, aut deminutum videri; non magis quam olim foret ac fuiſſet &c. Neque ad rem pertinet, quod id ius etſi in vſu ſit fueritque ſemper quoad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus & nonnullas Abbatias Hiſpaniarum, tamen quoad reliquas dignitates Eccleſiarum Cathedralium & quoad reliqua beneficia nõ ex integro id in vſu nunc eſt, &c. Nam ad perfectam hujus rei cognitionem præfari oportet non eſſe ſolum aut ſimplex jus patro-

natus, id quod habent Hiſpaniarum Reges in talium beneficiorum collatione ſeu nominatione, neque ex ſola iuris Canonici conceſsione, ſed potiſsimum ex ipſomet iure Regali & ſic ex iure naturali.

ORDINVM

ORDINVM HOLLANDIAE AC VVESTFRISIAE PIETAS

AB IMPROBISSIMIS MVLTORVM CAlumnijs, præſertim verò à nupera SIBRANDI LVBBERTI *Epiſtola, quam ad Reuerendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit, vindicata:*

PER

HVGONEM GROTIVM

eorundem Ordinum Fiſci

ADVOCATVM.

SI vir acer SIBRANDVS LVBBERTVS eo contentus hoſte quem iamdudum ſibi elegerat, intra Conradi Vorſtij oppugnationem ſtetiſſet, nihil nobis erat in illa arena negotij. Sed quum ille qui libertatem [a] προφητείας vbique exagitat, nunc ſpecie [b] προφηλείας eam ſibi ſumpſerit libertatem, vt auſus ſit rem Apoſtolis vetitam, [c] *κυριότητα ἀθετεῖν, καὶ δόξας βλασφημεῖν*, mirum videri non debet, inuentum

a Sacra docendi.

b Docendi ſacra.

c Dominatum aſpernari & dignitatibus maledicere.

eſſe

eſſe ciuium vnum, & quidem cuius proprium munus eſt iura ac ſublimitatem Ordinum tueri, qui quam iniuriam optimis Rectoribus illatam patienter ferre non poſſet, eam legitima ratione vindicaret. Equidem an fabula ſit, neſcio, mutum à primis natalibus adoleſcentem conſpecto patris periculo vocem ſubitò edidiſſe, rumpente oris retinacula cordis affectu: illud ſanè veriſſimum cenſeo, ſi quo debemus amore proſequimur pios patriæ parentes, læſa ipſorum exiſtimatione vocem extorqueri poſſe vel obſtinatiſſimi ſilentij hominibus. Alioqui in hoc Eccleſiæ æſtu nihil erat ſecurius, quàm intra gemitus ſe tenere, loquendi autem libertatem in ea tempora ſeruare, quibus deſæuituri eſſent hactenus morbi, vt præbere poſſent remediis patientiam. Sed palàm vulneratum nomen atque famam Conſeſſus Ampliſſimi, diſſimulare non licet; quum velociſſimus ſit calumniæ curſus; quam vt proximè ſequaris, vix tamen apprehendas. Accedit, quod ipſa ſalus publica labaſcit, ubi Magiſtratuum concutitur auctoritas. Crimen atrox defert Sibrandus. *Induci*, ait, *in Eccleſiā non errores aliquos*, vt multis ſolet ſuccumbere humana infirmitas, *ſed hæreſes*. Vt nihil vltrà dicam, hæc ipſa grauis ſanè eſt accuſatio. Quid enim aliud eſt hæreſis, quam peſtis,

quam

quam venenum Eccleſiæ, & quidem præſentiſſimum? Sed tamen hæreſium aliqui ſunt gradus, ita vt ſit hæc illâ nocentior. Forte igitur contentus fuerit infimæ noxæ aliquam nominare. Imò verò eam nominat, qua peiorem aliam reperire non potuit. Scimus quam exoſum, quam horrēdum bonis omnibus olim fuerit Arij dogma, qui Chriſtum Dominum noſtrum Patri [d] ὁμοούσιον negabat. At ille tamen extitiſſe eum priuſquam Mundus exiſteret, & Patri ſimillimum fatebatur. Quanto in Chriſtum contumelioſior Samoſatenus, aut quicumque alius fundamentum illud euertit, quod Euangelio ſubſternitur, [e] ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, qui ereptum it Chriſto [f] τὴν δόξαν ἣν εἶχε πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ τῷ πατρὶ, qui abnegare mauult, quam agnoſcere inenarrabile beneficium [g] ὅτι ὁ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφὴν δούλου λαβών; Hanc igitur hæreſin, ad cuius mentionem pij omnes exhorrent, inuehi in Eccleſiam clamat Sibrandus, non errore aliquo & ignorantia, ſed ſtudio atque induſtria. Ait enim, *eſſe quoſdam in eo vt hoc perficiant, atque alendæ peſti manum porrigant, idq; ab ipſis magna contentione & ſtudio agi*, quorum proinde conſilia ac cogitationes ad [h] τοῦ καρδιογνώστου diſquiſitionem vocat. Tanto ergo crimini reos quos deſti-

d Conſubſtantialē.

e In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum eſt.

f Gloriā quam apud Patrem habuit antequam mundus exiſteret.

g Quod qui in forma erat Dei, ſemet inaniuit, ſerui formam accipiens.

h Cordium cognitoris.

nat? Primùm, quoſdam quos non nominat, ſed quos auctores ait fuiſſe Curatoribus Academiæ Lugdunenſis vocandi ad profeſſionem Vorſtij: ipſos deinde Curatores: ac poſtremò Ordines Hollandiæ, in quos præcipuè incurrit irreuerentiæ & bilis plena Præfatio. Hi omnes, ſat ſcio, ſi vera ſunt quæ dicit Sibrandus, iram Dei, odiũ Chriſtiani orbis totius non deprecantur: ſin autem nullo ſuo merito tantæ obijciuntur infamiæ, cogitent omnes iuris atq; æqui intelligentes, quam non ſit ferendum, ejus dignitatis nomina tam petulanter laceſſi, quum infimi cujuſque ex plebe læſam exiſtimationem tam ſeuerè vindicent iuris auctores. Vbi nunc lex Rhemnia? dormis? Ac de ijs quidem quos ſuaſores Curatoribus fuiſſe ait, vt taceam, quando ipſe quoque nomina reticuit: Curatores Academiæ Lugdunenſis ſunt viri duo, non minus eruditione ac probitate, quam generis nobilitate conſpicui: illis præterea geniti parentibus, quorum inſignia, tum in patriam, tum in Eccleſiam merita boni omnes grata memoria proſequuntur. Iuxtà hos curam Academiæ vnà gerunt Rectores ciuitatis Lugdunenſis: ejus nimirum, quæ ne exutam ſemel animorum ac corporum ſeruitutem iterum ſubiret, plura ac grauiora ſuſtinuit, quàm vllius hominis eloquentia fando aſſequi

poſſit

poſſit. Scilicet extrà mœnia hoſtem, intrà peſtem, famemq; idcircò tolerauit inuictæ patientiæ ciuitas, ne deeſſet aliquando locus in quo Samoſateni, Serueti, & Socini furores regnarent: aut qui pro vera pietate omnia malorum genera conſtanter pertulerunt, nunc ſubitò conſultore vno atque altero illam exuent, eorum verò dogmata amplectentur, quorum libros nec legerũt, nec legere cupiunt, plerique verò etiam nomina ignorant? Ordines autem Hollandiæ qui dicit, nonne cogitare debet ſummos Rectores ab omni æuo nobiliſſimæ gentis, qui aduerſus injuſtas dominationes, alteram Romanenſem, alteram Hiſpanicam, magno animo atque conſtantia obniſi, certam ſibi atque aliis ad libertatem munierunt viam: quique ad ſuſtentandam rem communem exemplo eſſe ſocijs quam exempla ab ipſis expectare ſemper maluerunt? Hi Proceres igitur qui reformatam Religionem auctoritate atque opibus ſuis fouerunt hactenus, magiſtros eius ſuo ex ærario liberaliter ſuſtentarunt, aliam religionem in publico nullam paſſi ſunt conſpici aut audiri, hi ſunt, quos vt Socinianiſmi fautores traducit Sibrandus, quos ait non decipi tantùm (exiguum enim id fuerat) ſed decipi velle. Sedet eo in conuentu præclara nobilitas, genuina proles optimorum paren-

tum, qui capitis periculo, patriæ fortunarumque damno veræ pietatis profeſſionem redemerunt. Sedent vrbes, quarum aliæ ciuium cædes, aliæ obſidia, nulla non ingentes calamitates pro eadem profeſſione ſuſtinuerunt. Et his iſta in os audet dicere doctor vmbraticus? Sed antequam ad temerariæ accuſationis argumenta veniam, primum illud conſiderari velim, cur vt non ita pridem Eccleſia Belgica Londinenſis, ita nunc potiſſimum electus ſit à Sibrando, vir Reuerendiſſimus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, ad quem hæc querela deferretur. Video quid obtendat: Membrorum inter ſe fœdus, vt dolor vnius alteri alienus cenſeri non debeat. Sed adeò nemo apud nos erat, quem moueret ſtatus Eccleſiæ, qui bona fide hæreſes odiſſet, vt trans mare mitti hæc cauſa debuerit, & ampliſſimæ regionis Antiſtes, publicis præterea regni negotijs quotidie occupatus, hac inſuper cura onerandus fuerit, vt quæ in Ordinum Hollandiç conuentu acta ſunt, ijs ipſe ſuam ſollicitudinem impertiretur? Non ita fœlix fuit Britannia, vt non aliquando & ipſa aut opinionum aut rituum diſſidio fluctuaret: ſed cujus vnquam cauſſæ cognitio extra regnum ablegata eſt? Meminerunt ſcilicet Britanni, quid Africani Patres ſtatuerint de tranſmarinis appellationibus,

quas

quas etiam Eccleſiaſticæ communionis damno puniendas cenſuere. At nonne Africanæ & tranſmarinæ Eccleſiæ membra erant vnius corporis? Erant ſanè: ſed exiſtimabant ſuam cuiq; Spartam ſatis difficilem obtigiſſe, quam ornare atque excolere deberet, & curare diligenter.

[h] Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

[h] *Ecquid forte domi fiat, pravumve bonumve.*

Quod ſi qua tamen neceſſitas interdum externę ſapiëtiæ conſilia depoſceret, debere ſaltem eſſe hoc ipſum non priuati, ſed publici arbitrij. Alioqui mera introducitur [i] ἀκαταστασία. Hæc quũ ita ſe habeant, intelligi facilè poteſt, callidè magis quàm rectè atque ordine feciſſe Sibrandum, quod hanc rem cognoſci voluerit vbi acta non eſt. Scilicet verum eſt quod ille olim dicebat, difficile eſſe apud alios cauſſam dicere, quum apud alios vixeris. Hîc ſanè, vbi notum eſt omnibus Ordinum Hollandiæ ſtudium in tuenda vera religione, quæſiti Socinianiſmi fabula obtrudi nemini poterat. Inueniendus fuit qui Proceres noſtros haud æquè noſſet: ejus animus ita occupandus atrocitate ſuſpicionum, vt nondum audita defenſio iam inuiſa eſſet. Sed ne huic quidem conatui, aſtuto quanquam & improbo, reſponſuros euentus, ſpondent ſibi, quibus nota eſt Ampliſſimi Antiſtitis prudentia; præſertim quum mater veritatis dies non

[i] *Confuſio.*

permiſſura ſit longum fraudibus regnum. Maximam ſe & Curatoribus & Ordinibus inuidiã conflaturum ſperauit Sibrandus ex cauſſa Vorſtiana. Ego Vorſtium defendendum non ſuſcepi; neque committam, vt legitimæ cognitioni quæ de Vorſtio haberi cœpta nondumque finita eſt, quicquam præjudicem. Sed hoc primùm conſiderari velim. Non agit Profeſſorem Vorſtius, non docet iuuentutem, non in eo qui cuiuſquam oculos præſtinguere poſſit fulgore verſatur. Quid igitur attinet ſatis tranquillum negotium toties exagitare, niſi non propter Vorſtium Ordines accuſantur, ſed propter Ordines Vorſtius? Ac profecto qui ſtatum Eccleſiæ noſtræ rectè intelliget, is facilè animaduertet, multò ante aduocatum Vorſtium Sibrando alijſq; nonnullis motam fuiſſe bilem, ideò quod Hollandiæ Ordines non paterentur continuò ex Eccleſijs eijci eos Paſtores, qui Sibrandianæ de Prædeſtinatione ſententiæ non ſubſcriberent, ſimulque aſſererent ius ſuum Magiſtratui in gubernanda Eccleſia. Hi ſunt, quos idem hic Sibrandus iampridem *perfidos, calumniatores, aulæ inſidias, nouos noſtri temporis Euſebios* appellauit, in egregia illa quam edito à ſe Socino præpoſuit epiſtola. Hæc cauſa eſt, ob quam iam tũ Sibrandus Hollandiæ Rectores, quos ille qui-

dem

dem non nominabat, vt nunc facit, ſed ita deſignabat, vt etiamſi nunc interpretatus non eſſet, intelligeret tamen quiuis in quem venenata iſta tela iacerentur, eos inquam (en horribilem audaciam) dixit *auctores ſcelerum, ingenij petulantis, perturbatores Orbis terrarum, populi concitatores, qui omnia ſeditionibus miſceant, Epicureos etiam & Libertinos latentes ſub Politicorum nomine, qui vltro faciant alantque Eccleſiæ diſſidia & in ijs ſe ſuauiter oblectent: religionem denique ipſam vt fabulas & vulgi terriculamenta derideant.* Sed rectene an ſecus Ordines fecerint, mox viderimus. Nunc illud ſufficit, hanc eſſe veram tumultuandi [m] αἰτίαν, Vorſtium nihil, niſi [n] πρόφασιν. De vocatione autem ipſius quæ tam odioſè traducitur, ita ſe res habet. Steinfurti in ſchola nõ ignobili & Reformatæ Religionis tenaciſſima, publicè ſacrarum literarum profeſſor erat Vorſtius, Comitibus Benthemenſibus, Senatui, Paſtoribus, vt ex teſtimonijs ipſorum apparet, pergratus. Doctiſſimi ex Belgio noſtro viri, amicitiam cum ipſo colebant, ſcriptitabant ad ipſum, de grauioribus quæſtionibus ipſum conſulebant. Complures ipſius contra Ieſuitas libri multum ipſi & gratiæ apud noſtros, & laudis pepererant. Nuper admodum ipſe Haſſiæ Princeps, cuius & doctrinam & pietatem nemo ſa-

[m] Cauſam.
[n] Prætextum.

tis vnquam laudauerit, ad illuſtrem Academiam Marpurgenſem ornandam ipſum ſolicitauerat: Antibellarminus non ita pridem ab ipſo editus multis eruditis ac pijs laudabatur, quod & breuiter comprehenderet grauiſſimas huius ſæculi cõtrouerſias, & ęquitatem non paulò maiorem oſtenderet, quam clamoſi quidam conuitiatores magis quam diſputatores ſolent. Inſcriptus erat hic liber Ordinibus Fœderatis, quibus luctuoſiſſimi belli felicem ſatis exitũ auctor epiſtola gratulabatur, ſimulq; commendabat ipſis Chriſtianam ęquitatem, hactenus vt in rebus leuioribus, nec ad fundamentum ſalutis neceſſariò facientibus (addita enim erat & repetita aliquoties hæc cautio) diſſenſiones quædam ſalua pace tolerarentur. Hęc admonitio mitibus ingenijs & rixarum fugientibus auctorẽ conciliabat, pręſertim quum eadem ſuadere videretur, quę tribus ante annis Illuſtriſſimus Elector Fridericus Princeps Palatin⁹ ſcriptis & ad Ordines Fœderatos, & ad ipſum Britãnię regem literis. Hę fuere cauſſę Paſtoribus quibuſdam apud nos cur apud Curatores Vorſtium laudarent, Curatoribus autem, cur profeſſionem Lugdunenſem ipſi deferrẽt, communicata prius re cum ſummo Ducũ Principe Mauritio, & Ordinũ delegatis: quos eo nomine ſiqui volẽt accuſare, & Comites Benthemienſes,

& Haſſię

& Haſſię Principem prius accuſent neceſſe eſt: imò ſe quoq; ipſos, quum negare non poſſint, ad ea vſque tempora optimè ſe de Vorſtio ſenſiſſe. At ſimul atq; compertum eſt Zelotis Vorſtium eorum commendationibus niti qui ipſis quā maximè diſplicebant, liber illius de Natura Dei, notus paucis (nam tum primum prodibat) & quē credibile eſt in non multas alioqui manus venturum fuiſſe, diligentiſſimè excuti cæpit; inquiſitum ſimul in ea quæ dudum acciderant: priuata quoque & ἀνέκδοτα [o] ipſius ſcripta in lucem inuiſo ipſo protracta, reſeratæ amicorum literæ. Cū his indicijs non ad Ordines eorumve delegatos ventum, non ad Illuſtriſſimum Principem Mauritiū, non ad Academię Curatores: ſed incredibili celeritate miſſi in Germaniam primùm, deinde quò non? nuntij, qui Socinianiſmi ipſum arguerent: ac ſimiles prolicerent aliorū ſententias, ita ut prius totum illud negotium in vulgi manibus fuerit, quam ad legitimos rectores atq; iudices perueniret. Hic vbi rumor percrebuit, quam exhorruerint re inopinata perculſi, illi ipſi qui Vorſtium commendauerant, neſcire Sibrandus non poteſt. Vidit enim vnius eorum & quem præcipuè deſignat, quum de vocandi Vorſtij auctoribus loquitur, ad Vorſtium literas, apertè ac ſimpliciter ſcriptas: qui-

[o] Non edita.

bus mœrorem ſuum abundè teſtatur. Et ſiquidē falſa eſſent quæ vulgarentur, dilui vult calumniam Chriſtiano nulli ferendam: ſi quid veri ſubeſſet, auctor eſt, vt oblatum munus recuſet, neque Ordinibus & Curatoribus imponat, ſeque in diſcrimen adducat. Ab his enim omnibus Chriſtianum expectari profeſſorem, non Oſtorodianum. Hæc qui ſcribit, & ex animo ſcribit, (neque enim ſcripſit vt vulgarentur) iſne credendus eſt Socinianiſmo, aut quod idem eſt Oſtorodianiſmo fauere, quum eam ſectam profitentes extra Chriſtianorum nomen releget? Ordines verò Hollandiæ, ad quos procul dubio iſtius cauſæ cognitio pertinebat (ipſorum enim eſt Academia, ipſorum miniſtri ſunt Curatores) querelis vndique inſurgentibus ſurdaſne aures præbuerunt? Nondum accepta profeſſione, re adhuc integra venit Hagam Vorſtius, exſpectans ſi quis accuſator exſurgeret; cum nemo appareret, abijt. Multo poſt cœperunt in Ordinū conuentu Paſtores aliqui in Melanchthonianam de Prædeſtinatione ſententiam multis tūc allubeſcentem, ſimulque in Vorſtium declamare, non tamen vt in ipſum inſcribere auderent. Crimina tamen quæ adferebant, ſanè erant grauiſſima. Dicebatur enim Vorſtius negare °τὴν ὁμοούσιον, καὶ ἀσύγχυτον, καὶ ἀδιαίρετον τριάδα, Chriſti, imò

° Conſubſtantialem, inconfuſam & indiuiſam trinitatem.

imò & Dei veram æternitatem, immenſitatem quoque, & vbique præſentiam [p] οὐσιώδη, tum verò & immutabilitatem, & omnipotentiam, & rerùm futurarum, maximè [q] τῶν ἐνδεχομένων πρόγνωσιν, præterea [r] τοῦ θεοῦ τὸ ἀσώματον καὶ τὸ ἄποιον inficiari, metum verò ac deſperationem Deo tribuere, & quidem [ſ] κατὰ κυριολογίαν: ne id quidem agnoſcere, Chriſtum Deo pro peccatis noſtris verè ac plenè ſatisfeciſſe: in ſumma, & Samoſateni vetera, & Socini noua dogmata ſectari. Hic ego optima fide profiteor, neminem me noſſe in omni Hollandiæ conuentu, qui non iſtis opinionibus & omnibus & ſingulis dicturus ſit Anathema. Quid ergo Vorſtius? faſſuſne eſt omnia? imò nihil horum: Socini etiam errores ſua voce damnauit. Hic ego pios omnes etiam atque etiam compello, diligenter expendant, quodnam in eo iudicio fuerit [t] τὸ κρινόμενον. Non enim id quærebatur, an ad profeſſionem admittendus eſſet, qui ea quæ ante retulimus, aut his ſimilia & ſentiret & doceret: nam talium errorum magiſter quin admittendus non eſſet, admiſſus quoque ejiciendus quin eſſet, nemo omnium dubitabat. Sed litis illius non iuridicialis, non finitiuus, vt loquuntur Rhetores, ſed inficialis erat ſtatus, negante Vorſtio hæc à ſe aut dicta, aut cogitata, contrà adfirmantibus alijs. Audita

p Eſſentialem.

q Eorum quæ non neceſſario fiūt prænotionem.

r Deum eſſe ſine corpore ac qualitatibus.

ſ Propriè loquendo.

t Caput controuerſiæ, ſiue indicatio.

eſt cauſſa, præter ſex velut accuſatores, præſentibus Theologis ſex alijs, Socinianiſmi nũquam antea ſuſpectis, qui conſilium Ordinibus prębe-rent. Poſtea ex Britannia venerunt literæ: Euentum videamus. Laudatuſne eſt Vorſtius, quod ſubtiliter ſcripſiſſet? non ſanè: at abſolutus ſaltem? ne hoc quidem. Legibus receptum eſt, vt reus honores quidem petere nouos non poſſit, ante autem adeptos gerere vt poſſit. Adſcriptus Profeſſorum albo fuit Vorſtius. Specioſè dici poterat, non eſſe poſſeſſione ejus muneris depellendum quamdiu cognitio penderet. Abſtinet tamen ab eo munere. Lugduni iam habitabat, libera in vrbe, eo in ſolo quod errorum quantumuis grauium manifeſtos, præſertim quietem & ſilentium pollicentes ferre iamdudum didicerat. Adeóne aut iniquum aut inuidioſum erat, ſi in tam populoſa ciuitate, in tanta hominum diuerſa ſentientium frequentia vnus hic homo priuatus & quietus viueret? Sed ne hæc quidem calumniæ occaſio relicta eſt. Elegit ipſe vltro ſecretum citrà noxam cujuſquam, citrà periculum, citrà ſuſpicionem quoque, ab Ordinibus admonitus, vt ibi dicta factaque ſua Deo ac conſcientia iudice examinaret, quæ defendi poſſent, defenderet; quæ non poſſent, ea ingenua

ingenua erroris confeſſione expiaret. Veteres Imperatores & multo purioris æui Concilia ſatis ſe [u] ὀρθοδοξίαν teſtari arbitrantur, ſi praua dogmata docentes, confitentes, propugnantes etiam, Epiſcopatu demouerent. Seueriſſima pœna erat inſula claudere, non tamen extra Romani Imperij fines. Ordines Hollandiæ, quorum ſub imperio Vorſtius Sociniani ſmi quidem accuſatus, ſed tamen palàm voce ſua Socini dogmata condemnans, dum plenius cauſſa cognoſcitur, non profeſſione tantùm, ſed Academia quoq; abſiſtit, vt fautores Socinianiſmi apud Reges, apud Eccleſias traducuntur. Quam longè abeunt iſta iudicia, non iam dicam à Chriſtiana charitate, quæ [x] μακροθυμεῖ, χρηστεύεται, οὐ ζηλοῖ, οὐ περπερεύεται, οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακόν, πάντα στέγει, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, ſed ab æquitate etiam illa, quam multi in Gentibus habuere, quæ conſilij ambigui interpretationem in benignius trahit. Accedit, quod ne dubium quidem eſſe poteſt, qui ſit Ordinum animus ac voluntas, quum Britanniarum Regi, non ob Imperium magis quam ob virtutes venerabili, clarè ſignificarint, aliam ſe quam Reformatam Religionem in Academia doceri nunquam paſſuros. Ipſi Paſtores, quos vt nimium amicos Vorſtio Sibrandus exagitat,

u Rectitudinem doctrinæ.

x Longanimis eſt, benigna eſt, non inuidet, non agit perperam, non inflatur, non cogitat malum, omnia tegit, omnia credit, omnia ſperat.

palam in conuentu Ordinum teſtati ſunt, ea quę Samoſateniani aut Sociniani docere de Sacroſancta Trinitate, de Domini noſtri Ieſu Chriſti perſona atque officio, de perfecta pro peccatis ſatisfactione, de iuſtificatione etiam dicerétur, à ſe rejici: contra verò jis ſe adhæreſcere quæ vniuerſa Chriſtianitas illis de rebus probaret: quæque paſſim in Reformatis Eccleſijs docerētur, & quæ ipſi docuiſſent hactenus. Ordines ne aliter fieret ſibi placere non vno decreto teſtati ſunt. Vbi igitur illud diſcrimen, illud periculum, & quidem ſummum Eccleſiarum? quæ cauſſa cur eædem Eccleſiæ tanto in timore ac ſolicitudine proſtratæ pene iacerent, vt libet noſtro Rhetori [y] παρατραγῳδεῖν; Habebant Ec-
[y] Tragicum in modum ampullari.
cleſiæ rectores, defenſores, educatores ſuos, eoſdem quos habuerant hactenus, eodem quo ſemper in ipſas animo, quibus diffidere, de quibus ſuſpicari ſequius, niſi ingratæ admodum eſſe vellent, non poterant. Sed habet hoc Sibrādus, & cum illo alij: Eccleſias loqui & ſentire faciunt, quicquid ipſis in mentem venit. Illud verò ſanè egregium eſt, quod ea quæ Rex maximus in oppugnando Vorſtio fecit (qua in re lōgè aliud ſpectauit Majeſtas ipſius, aliud ſpectat Sibrandus) ijs beneficijs componit, quæ admirabilis Regina Eliſabetha patriæ noſtræ extre-

mis eius rebus præſtitit. Igitur & Pontifici Romano, & Regi Hiſpanorum par eſt Vorſtius, homo ſiquid Sibrando credimus, ſtupidus, indoctus, ferula dignus, vt qui ne ſyllogiſmum quidem, opus puerile, nectere didicerit, *non metuendus* denique (Sibrandi hæc quoque verba ſunt) *Eccleſiis aduerſarius*. Quod ſi Regis optimi in nos beneficia ab illo commemorari debuerunt (ita enim agit, quaſi præter ipſum alius nemo ea ſentiat, agnoſcat, fateatur) cur ea præterit quæ præcipua ſunt, quod ad demonſtrandam & amicitiam & [z] ὁμοδοξίαν, filij ſui baptiſmo teſtes adhibuerit Ordines Fœderatos, quod & ante & poſt Eliſabethæ exceſſum ſubditorum ipſius ſanguine defenſa ſit hæc patria, quod etiam pace cum Hiſpano confecta, quantæ ipſi curæ eſſet Reip. noſtræ ſalus perpetuò oſtenderit, nec quieuerit ante quam ipſo imprimis adiuuante effectum eſt, vt nos quoque honeſtiſſimis legibus arma poneremus? Quam multa ipſius fida conſilia, quot & quantas liberalitates tacet? Rurſum, ſi ad laudes Regis prædicandas aptior quiſquam inueniri non potuit, cur præuaricatur, cur ea omittit quæ ſunt potiſſima? Dixiſſet ingenium ipſi eſſe mitius, quam regnis vnquam contigit, doctrinam, in priuato quoque ſuſpiciendam. Dixiſſet, ita eſſe reuerentem antiquitatis, vt non ad ſola

[z] *Conſenſum in doctrina.*

Caluini ac Bezę (magnorum alioqui virorum) nomina ſtupeat, Græcos autem Latinoſque Patres ferociter contemnat, ſed ab hac hodierna Eccleſia ad illam veterem perpetuò reflectat oculos, neque nuperis quibuſdam magiſtris ſuam gratificetur fidem, vt quos non errare tantùm credit potuiſſe, ſed in quibuſdam novit erraſſe. Dixiſſet; ita ſtudioſum eſſe pacis Eccleſiaſticæ, vt in controverſijs olim quoque decertatis, aut nuper ſubortis, diſſenſiones æquo ac placido animo ferat, dum ſalva & inuiolata maneant illa, quæ ſemper, vbique, perſeueranter, & tradita ſunt & credita. Denique, ſi gratus eſſe voluit, cur gratias Regi non egit, quod nuper ad ſedandos Eccleſiæ noſtræ motus, fidele, ſapiens, ſalubre conſilium dedit? Legerat Rex ipſe capita defenſa à Remonſtrantibus noſtris, hoc eſt, ab ijs qui à Caluino & Sibrando in Prædeſtinationis negotio [a] καὶ ἐν τοῖς ἐχομένοις diſſident. Quid Caluinus doceat, quid Whitackerus, quid Perkinſus defenderint, ſatis nouerat. *Experiendo didiciſſe ſe* ait, *Theologorum diſputationibus iſta vix ſolere componi: auctoritate publica opus eſſe, vt ne ad plebem ferantur iſta certamina: pax autem colatur, alijs alios in iſta opinionum diſcrepantia ferentibus, ſaltem donec maturè cognito negotio per ipſos Ordines aliud ſtatuatur.* Additque rationem veriſſimam

[a] Et in his quæ inde pendent.

mam: *Non ita diſsidere has ſententias, quin cum fidei Chriſtianæ veritate & animarum ſalute conſiſtant.* Hoc de conſilio longè prudentiſſimo altum in Sibrandi libro ſilentium. Nec difficile eſt cauſam conjectare. Si ille quod ſentit profiteri auderet, diceret, Regem ſententiam promſiſſe de ijs quæ ſuæ notionis non erant. Non debuiſſe ipſum de Prophetijs judicare: nam ex Sibrandianis decretis id munus Prophetarum proprium eſt: ex ijſdem autem decretis Rex Propheta eſſe non poteſt, niſi forte Eccleſia Londinenſis, aut aliqua alia preſbyterum ipſum annalem fecerit. Atqui laudabat Regem Sibrãdus, quod Vorſtium damnaſſet. Nempe, vt Caſcellius olim, conſultus an nux pinea pomum eſſet, Si in Vatinium, inquit, miſſurus es, pomum eſt: Ita in Vorſtium Rex Propheta eſt, pro Remonſtrantibus non eſt. Ita ſolent illi homines ius & auctoritatem Regum liberaliter prædicare, quamdiu ea ſtatuunt, quæ ipſis videntur: ſiquid inde diſceſſerint, actum eſt de regio iure. Maximo ſane Regis optimi merito, quum hac tranſirent filia ejus ac gener, Illuſtriſſimi Principes, vrbes noſtræ nullis lætitiæ, nullis reuerentiæ, nullis obſequij ſignis abſtinuere. Sed ridiculus eſt Profeſſor, quum omnia iſta ad vnam cauſam Vorſtianam refert: Nec is qui ita æſti-

mat, aut Vorſtium magni (quod videri tamen non vult) aut plurima Regis beneficia parui facit. Quid quod in honorandis Principibus non poſtremi fuere hi quos Orthodoxos Sibrandus non agnoſcit, quos Vorſtij fautores, quos Sociniſtas in odium confictis appellationibus vocat? Sed tamen, videamus quid Ordines Hollandiæ in tractanda Vorſtij cauſſa tantopere peccauerint. Primùm, hoc innuit, quum Rex & Theologi præterea nonnulli de Vorſtio pronunciaſſent, amplius quærendum non fuiſſe. Atqui hoc Rex ipſe noluit: monere ſe dixit, non ſententiam ferre cujus exſequutores eſſent Ordines. Imò coram toto orbe teſtatus eſt, nihil ſe ipſis præſcribere, nihil ſibi arrogare aduerſus ipſorum libertatem: nolle extra territorium jus dicere. Ergo ab ijs quorum ſubditus iam erat Vorſtius cauſſa fuit cognoſcenda. *Nihil neceſſe erat*, inquit Sibrandus: *non petebamus enim condemnari Vorſtium, ſed dimitti: quod fieri honeſtè poterat, præſertim quia Ordines à Vorſtio nequiter erant decepti.* Dimittere igitur, hoc eſt, aut munere publico ad quod receptus jam erat, aut etiam totis finibus interdicere, condemnatio non eſt, pœna non eſt. Solent hæc ſcilicet de plano, indicta cauſſa fieri. Perbella verò ratio, citra cognitionem dimitti debuit, quia

quia deceperat Ordines, quum hocipſum cognoſcendum fuerit, an decepiſſet. Si jura Sibrandus non didicit, illam tamen auream ſententiam ignorare non potuit: [b] μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον, ἐὰν μὴ ἀκούσῃ παρ' αὐτοῦ πρότερον, καὶ γνῷ τί ποιεῖ; Sed vrget, *Auditum ſatis eſſe cuius libri exſtant.* Hæc quoque noua eſt Iuriſprudentia, & turbandæ humanæ ſocietati. Profertur chirographum alicujus: Ne citetur ergo, ne audiatur: ſtatim ad condemnationem iudex proſiliat. Atqui leges ne quidem ſi crimen confeſſus extra judicium ſit quiſpiam, damnari eum patiuntur, niſi in jus vocatum prius, & facta ſe defendendi copia. Hinc illud prudentiſſimi auctoris: *quamuis inuiſum ac nocentem, more tamen audiendum.* Item, *Inauditos atque indefenſos tanquam innocentes perire.* Nam vt verè non minus quàm ſubtiliter Seneca,

b *An lex noſtra iudicat de quoquam niſi prius ipſum audierit, & quid agat intellexerit?*

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Aliud enim eſt ex Philoſophorum ſcitis [c] τὸ δίκαιον, aliud [d] τὸ δικαιοπράγημα. Bonum fieri non ſufficit, niſi & benè fiat. Neſtorius multos ediderat libros dogma ſuum continentes: auditus tamen eſt, imò ante ipſum damnationis momentum vocatur ab Epiſcopis [e] ὁ εὐλαβέστατος

c *Iuſtum.*
d *Iure factum.*
e *Religioſiſſimus Neſtorius.*

νεϛόεις. Tandem huc deuenit Sibrandus, vt dicat, *Ordines ad eam cognitionem nullos adhibuiſſe viros controuerſiarum peritos, itaque facilè & impunè Vorſtium illuſiſſe ipſorum imperitia*, aut, vt ipſi hic libet diſertum eſſe, *irriſos à Vorſtio Ordines, ſubſannatos, naſo denique ſuſpenſos*. At quid eſt irridere Ordines, quid eſt [f] ἄρχοντας τοῦ λαοῦ εἴρειν κακῶς, ſi hoc non eſt? De ſuæ patriæ conuentibus contemtim ſentiat oportet, qui vicinos quos non nouit, ita faſtidit: Quid de iſtis Theologis dicam? Iobi illud, *Scilicet vos eſtis populus, vobiſcum moritura eſt ſapientia*. Atqui ſi præſtantiſſimis auctoribus, ſi denique ijs quæ ipſe ſcripſiſti credi vis Sibrande, neque Theologiam qui profitentur omnes ſciunt [g] τὰ θεολογούμενα, neque Laïci omnes eadem ignorant. Fuerunt, fuerunt in illo ipſo Ampliſſimo cœtu viri doctiſſimi, qui & ſacras literas diligenter tractarent, & verum à falſo noſcent diſcernere, & hiſtoriam Eccleſiæ non ignorarent. Sed fruſtrà hæc omnia. *Doctores*, inquit, *& Paſtores adfuiſſe oportuit*. Eſto: adfuerunt ſex tuarum partium, ſex etiam alij: quorum rationes atque argumenta expendi potuerunt. Suſpectos fuiſſe hos ſex poſtremos dices, quia de Prædeſtinatione idem cum Vorſtio ſentiebant. Sed nonne vides, ea recuſatio ſi valet, viciſſim à Vorſtio recuſa-

[f] *Magiſtratibus populi maledicere.*

[g] *Ea quæ de rebus diuinis dicuntur.*

cuſari potuiſſe qui aliter quam ipſe de Prædeſtinatione ſentirent? Amplius addam: Tanta vos diligentia, tanta celeritate omni ex orbe præjudicia aucupatos, vt vix quiſquam eſſet, qui ſe iudicio integrum ſeruaſſet; immemores ſcilicet, plurimis ſæpè reïs nihil magis quam calorem & impotentiam accuſatorum profuiſſe. Sed fac adſediſſe Ordinibus quantam velles tui ſimilium copiam: Quid eſt quod actum cuperes? Nolles docere publicè Vorſtium: nondum habes quod queraris. Nolles Lugduni illum in ore iuuentutis verſari: ne hoc quidem fit. Sed extrà Hollandiam, aut extrà Fœderatum Belgium alias in oras deportatum velles; id enim apertè ſatis indicas. Quo crimine? hæreſeos ſcilicet. Da igitur ejus pœnæ in noſtra Republica exemplum, da legem. Vt de Romanenſibus nihil dicam, quos quidam hodie neque Deum, neque Chriſtum nobiſcum habere communem patiuntur; plena eſt Friſia Anabaptiſtis: hi palàm prædicant, non baptizandos infantes; Chriſtum carnem [h] ἐκ τοῦ [h] Ex ſemper virgine.
ἀειπαρθένου non accepiſſe; non gerendos Chriſtiano magiſtratus; pluraque alia. Hos Friſia ſi potes expelle: ab his incipe, qui non diſſimulant hæc dogmata, non [i] ἀμφιβολίαις ludunt, ſed [i] Perplexiloquiis.
[k] διαῤῥήδην iſta profitentur. Poſteà ad illos veni, [k] Apertè.
qui objecta ſibi dogmata non agnoſcunt. Vor-

 ſtij

ſtij iureiurando fidem ais habitam, & contumeliosè addis, Garnetum, ejuſq; ſocios parricidas Ordinibus Hollandiæ iudicantibus potuiſſe abſolvi. Primùm quæ, quantaque fides ſit habita Vorſtio vnde noſti? Deinde, aut imperiti aut maleuoli eſt, non diſcernere facta exteriora à mentis cogitatione. Non dico, ſemper iuranti de animo ſuo credendum: ſed in re dubia id fieri & poteſt, & ſolet. Quædam autem quæ Vorſtio objiciuntur parum certa eſſe, ne tu quidem negabis. In his ergo talibus cur non ſit [l] πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, rationem nullam video. Poſtremò illud quoq; addam, non quod neceſſe ſit, ſed vt apertior ſit calumnia. Etiamſi Ordines bonitate ſua decepti, melius quam oportebat de quopiam ſenſiſſent: non tamen [m] ἑτερόδοξοι propterea, non Sociniani, non fautores hæreſium cenſendi forent. Neque enim [n] ὀρθόδοξοι eſſe deſierunt Firmilianus, aliique Epiſcopi, qui Paulum Samoſatenũ verborum quibuſdam perplexitatibus eludentem diutiſſimè pertulerunt; neque Conſtantinus Imperator, quum Arium poſtquam is Nicęnam fidem ſimulare cœperat, his verbis dimiſit, [o] εἰ ὀρθή σου ἡ πίστις ἐστὶ, καλῶς ὤμοσας· εἰ δὲ ἀσεβής ἐστιν ἡ πίστις σου καὶ ὤμοσας, ὁ θεὸς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κρίναι τὰ κατὰ σέ. Sed nunc Vorſtij ex cauſſa exeamus, quam quiſquis rectè expen-

[l] *Omnis contradictionis terminus iuramentum ad confirmationem adhibitum.*

[m] *Secus quam oportet ſentientes.*

[n] *Recta ſentientes.*

[o] *Si recta eſt fides tua, probe iuraſti: ſin autem fides tua impia eſt & iuraſti tamen, Deus ex cœlo te ac tua dijudicet.*

expēderit, inueniet nullā hæreſin ab Ordinibus Hollandiæ probatam, nihil denique factum quod non libertati ipſorum, & legitimo iudiciorum ordini, & paci Eccleſiæ conueniret. Ad alterum veniamus accuſationis caput, quod in præfatione tectè innuitur, in fine autem ipſius libri, & in prioribus Sibrandi ſcriptis apertius indicatur. Hoc autem illud eſt, cujus cauſſa ipſam quoque hanc in Vorſtium inquiſitionem inſtitutam non temerè credimus: nempe, quod tolerandos iudicauerint Ordines Hollandiæ eos Paſtores qui de Prædeſtinatione à Sibrando diſſentiunt. Sed eo in facto facilè ſe Ordines Eccleſię & veteris & recētioris auctoritate defendent. Habuit illa controuerſia plurimas ſemper atque intricatas quæſtiones. Illud ſemper conſtitit, vitanda eſſe duo præcipitia; prius, ne peccādi cauſas Deo, aut damnationem fatali neceſſitati adſcribamus; poſterius, ne boni ſalutaris originem ad vires referamus deprauatæ naturæ. Illud anxiè vitarunt veteres, etiam qui de Prædeſtinatione ſublimius ſentiebant. In Concilio Arauſicano eſt, *Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis Anathema dicimus.* Proſper autem Auguſtini diſcipulus: *Qui dicit, quod qui Eu-*

D *angelica*

angelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant, & quod Deus ita definiuerit, vt quicunque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant, non eſt Catholicus. Et mox, *In malis operibus noſtris ſola præſcientia Dei intelligenda eſt: præſcivit tantùm, non etiam prædeſtinauit, quæ nec ipſe fecit, nec vt nos faceremus exegit.* Item: *Qui dicit, quod qui vocati ſunt, non æqualiter vocati ſunt, ſed alij vt crederent, alij vt non crederent, quaſi cuiquam vocatio fuerit cauſa non credendi, non rectè dicit: quamuis enim fides non ſit niſi ex Dei dono, & hominis voluntate; infidelitas tamen non eſt niſi ex ſola hominis voluntate.* Et alibi: *Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur.* Auguſtinus. *Omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ab eo ideò creatus eſt, vt pereat: Nimis impius & indoctus eſt, qui vitium naturæ non diſcernit ab auctore naturæ.* Ortum habuerunt iugulata his ſententijs dogmata à Manichæis & Priſcillianiſtis. Aliter, ſed eandem fermè in partem peccarunt illi quorum Sigebertus in Chronico circa annum ccccxv. ita meminit. *Prædeſtinatorum hæreſis hoc tempore cœpit ſerpere, qui ideò Prædeſtinati vocantur, quia de Prædeſtinatione & diuina gratia diſputantes, aſſerebant, quod nec piè viuentibus proſit bonorum operum labor, ſi à*

Deo

Deo prædeſtinati ſunt ad mortem, nec impijs obſit quod improbè viuant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam, quæ aſſertio & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc hæreſis, inquit, *ex libris Auguſtini malè intellectis initium ſumſiſſe dicitur.* Et quorum Gerſon: *Fuit alter error, quod homo perfectus nullam curam habere debet de rebus humanis, imò nec de ſeipſo, ſi damnetur vel ſaluetur, ſed in omnibus & ſingulis diuinam exſpectare voluntatem. Habet error iſte ramos plurimos pullulantes ex dictis Apoſtoli & Auguſtini & ſimilium, malè intellectis ſuper Prædeſtinatione Dei:* additque, *Reperiuntur in doctoribus Theologiæ qui ſubtiles & profundi nominati ſunt, quædam poſitiones minus ſobriæ: vt, quod Deus vult & facit nos peccare: quod in ordine ad Deum omnia neceſſariò eueniunt, & ita neceſſariò peccamus: quod diuina voluntas prius vult res eſſe, quam ſuus intellectus iudicat res fore.* Et hæc quidem Scylla eſt ſanè metuenda: neque verò minus periculoſa eſt ex aduerſo latere Charybdis, Pelagianiſmus ſcilicet aut Semipelagianiſmus, ad quem hæc dogmata pertinet. *Nullam eſſe humanæ naturæ deprauationem: Gratiam ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, non ad adiutorium ne committantur. Gratiam adiuuare ad non peccandum duntaxat, quia per ipſam reuelatur intelligentia mandatorum. Poſſe nos diuina*

mandata ſine gratia implere, ſed non æquè facilè. Dimitte nobis debita noſtra à quibuſdam humiliter, non veraciter dici. Initium fidei, inuocationem, humilitatem, obedientiam, non eſſe per gratiæ donum. Per naturæ vigorem bonum aliquod ad ſalutem pertinens vitæ æternæ, cogitari, & expediri, & eligi: Siue ſalutari, id eſt Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti. Alios miſericordia, alios ſine miſericordia per liberũ arbitrium ſeruari. Hos errores damnarunt Synodi complures; quarum nunc extant Mileuitana & Arauſicana poſterior. Neque vlterius ad condemnandas opiniones alias hoc quidem in argumento progreſſa eſt antiquitatis modeſtia. Cæleſtinus itaque Romanus Epiſcopus, alieniſſimus à Pelagianiſmo, poſtquam teſtatus eſt, hanc eſſe fidem Catholicam, *læſam omnium hominum innocentiam, nec quenquam poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit: neminem bonum eſſe, niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus: neminem idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, niſi quotidie Deo adjuuante: Libero arbitrio neminem benè vti niſi per Chriſtum: Omnia ſtudia ſanctorum ad Dei laudẽ gloriamque referenda: Omnem ſanctam cogitationem & motum piæ voluntatis ex Deo eſſe: Per gratiam Dei non ſolùm peccata dimitti, ſed adjuuari nos ne committan-*

tur,

tur;neq; ſine ea impleri divina mandata; addit poſtea. *Profundiores verò difficilioreſque partes intercurrentium quæſtionum quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, (*Auguſtinũ imprimis indicans*) ſicut non audemus contemnere, ita nõ neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt, vt prorſus non opinemur Catholicũ, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Aptemus hęc ad noſtras controuerſias. Duę ſunt apud nos de Prædeſtinatione & ijs quæ eò pertinent ſententiæ: altera eſt quam Franciſcus Gomarus, vir pereruditus duriuſculè, vt Sibrando videtur, Sibrandus verò mollius proponit: quæ etſi vna à nonnullis dicitur, in multos tamen ramuſculos diffuſa eſt. Hanc ergo ſiue vnam, ſiue multiplicem ſententiam, quin tolerabilem iudicet Sibrandus, dubiũ non eſt: neq; nos negamus, dummodo illa Manichaïca quæ ante poſuimus ſatis vitentur. Altera ſententia eorum eſt, quos nunc Remonſtrantes ideò vocare cœpimus, quia libello exhibito Ordinibus Hollandiæ, ſententiam ſuam expoſuerunt, orantes ita ſentiendi, nec contra quam ſentirent docendi libertatem ſibi permitti. Horum ſententiam to-

lerari Sibrando dolet, neque veretur eam Socinianiſmi nomine infamare: quia ſcilicet Socinus eandem probet: Quę conſequentia ſi admittitur, iam quicumque Deum eſſe credunt, Chriſtum vera & ſalutaria docuiſſe affirmant, erunt Sociniani. Alij malunt Pelagianiſmi notam eidem ſententiæ inurere. Atqui nihil eorum quæ vt Pelagiana damnauit vetus Eccleſia, Remonſtrantes pro ſuis agnoſcunt: nam ex quinque eorum effatis tertium ita habet: *Quod homo ſalutarem fidem à ſe non habet, neque ex liberi arbitrij viribus, ſiquidem in ſtatu defectionis & peccati nihil boni quod quidem verè bonum ſit (quale eſt imprimis fides ſalutaris) ex ſe & à ſe poteſt cogitare, velle, aut facere: ſed neceſſe eſt eum à Deo in Chriſto per Spiritũ ſanctum regenerari & renouari in intellectu, affectu, ſeu voluntate, & omnibus viribus, vt verum bonum rectè poſſit intelligere, cogitare, velle, & perficere, ſecundum verbum Chriſti, Ioan. xv. v. Sine me nihil poteſtis.* Qua confeſſione confoditur Pelagianiſmus: quanto magis ſi illa addas quæ ipſi in ſententiæ ſuæ expoſitione addiderunt, *Non omnes homines repoſitos in ſtatum conciliationis & gratiæ ſalutaris. Eſſe aliquod de vocandis per Euangelium hominibus & danda fide decretum captu noſtro ſublimius. Deum liberrimè dona ſua diſpenſare, ita vt non circa omnes omnibus vtatur*

modis

modis, ſed conferat paribus imparia, imparibus paria, interdum pejoribus majora. Dari à Deo, non tantùm potentiam credendi, ſed ipſam fidem, & eſſe hanc gratiam peculiarem. Sed ſingula capita Remonſtrantium examinemus, ſunt enim numero quinque. Primum eſt de Prædeſtinatione: alterum de morte Chriſti: tertium de Gratiæ neceſſitate, quod modò citauimus: quartum de modo quo Gratia operatur: quintum de Perſeueratione. In primo capite docent, Deum ab æterno decreuiſſe credentes ſaluos facere. Hoc idem tu, Sibrande, totidem verbis adfirmas, & rationem addis certiſſimam: *vt enim in tempore agit Deus, ita ab æterno conſtituit agere: ſed in tempore adultos* (de his ſolis agitur) *iuſtificat per fidem, vel quod idem eſt, ſaluos facit credentes, Ergo ab æterno conſtituit Deus credentes per fidem iuſtificare, vel, quod ferè idem eſt, conſtituit credentes ſaluos facere.* Hactenus ergo conuenit inter vos. At illi non ſatis, inquies, dicunt. Minus ergo dicere quando hæreſis eſſe cœpit, in iſto præſertim tam difficili negotio? Ne vos quidem totam ſententiam veſtrã promitis, apud populum præſertim. Auguſtini cautio eſt de eodem argumento agentis: *Quamuis ergo hæc vera ſint, non tamen iſto modo dicenda ſunt audientibus.* Et alibi. *Nempe,* inquit, *hoc veriſſimum eſt: ita ſanè, ſed improbiſſimum, importu-*

niſſimum, incongruentiſſimum: non falſum eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis appoſitum. At illud dicitis ferri non poteſt, quod electionem ſingularium perſonarum ad præſcientiam referunt fidei. Non quæro jam quid verum ſit: hoc quæro, An ita ſentire Pelagianum ſit, an Socinianum? an intolerabile? Ergo veterum nemo ita ſenſit, ita locutus eſt? quid ſi plurimi? quid ſi ante B. Auguſtinum prope omnes? Vrgetis Apoſtoli Pauli verba,[p] πάντα συνεργεῖ εἰς τὸ ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. Vis interpretem ex Græca Eccleſia? En Chryſoſtomum:[q] ὅτι οὐχ ἡ κλῆσις μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ πρόθεσις τῶν καλουμένων τὴν σωτηρίαν εἰργάσατο· οὐ γὰρ ἠναγκασμένη γέγονεν ἡ κλῆσις, οὐδὲ βεβιασμένη. πάντες γοῦν ἐκλήθησαν, ἀλλ᾽ οὐ πάντες ὑπήκουσαν. Vis ex Latina? En Ambroſium verba illa aliter interpretantem, ſed ſenſu eodem. *Hi autem ſecundum propoſitum vocantur, quos credentes præſciuit Deus futuros ſibi idoneos, vt antequam crederent, ſcirentur.* Et mox. *Iſtos quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Vrgetis ejuſdem Apoſtoli illa:[r] μήπω γὰρ γεννηθέντων, & quæ ſequuntur,[ſ] τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα. Ad eum locum Chryſoſtomus.[t] ὅτι γὰρ δικαίως, σὺ μὲν ἀπὸ τοῦ τέλους ἔγνως· αὐτὸς δὲ καὶ πρὸ τοῦ τέλους ᾔδει σαφῶς. οὐδὲ γὰρ ἔργων ἀπόδειξιν ζητεῖ μόνον ὁ θεός, ἀλλὰ καὶ προαιρέσεως

[p] *Cooperantur omnia in bonum his qui vocati ſunt iuxta propoſitum.*

[q] *Quia non vocatio ſola, ſed & vocatorum propoſitum ſalutem operatũ eſt: nõ enim coacta fuit, aut violenta vocatio. vocati quidem omnes, ſed non omnes obedierunt.*

[r] *Cum enim nati nondum eſſent.*

[ſ] *Iacobum amaui, Eſauum verò odio habui.*

[t] *Quod iuſte, tu quidem ex fine cognouiſti: ille autem etiam ante finẽ perſpicuè ſciuit: non enim ſolam operum demonſtrationem Deus quærit, ſed &*

ρέσεως εὐγένειαν, καὶ γνώμην εὐγνώμονα. ὁ γὰρ τοιοῦτος, κἂν ὑπὸ περιστάσεώς τινος ἁμάρτῃ, ταχέως ἑαυτὸν ἀνακτήσεται. κἂν ἐν κακίᾳ διατρίβων τύχῃ, οὐ περιοφθήσεται, ἀλλὰ ταχέως αὐτὸν ἀνιμήσεται ὁ πάντα εἰδὼς θεός. Ambroſius. *Sciendo quid vnuſquiſque illorum futurus eſſet, dixit, Hic erit dignus, qui erit minor, & qui major erit indignus. Vnum elegit præſcientia, & alterum ſpreuit.* Item, *Præſciens itaque Deus malæ illos voluntatis futuros, non illos habuit in numero bonorum.* Et mox: *Ei miſericordiam dabo, quem præſciui poſt errorem recto corde reuerſurum ad me.* Figuli ſimilitudinem ad vivum reſecatis: quid illi?[u] οὐ τὸ αὐτεξούσιον ἀναιρῶν τοῦτο λέγει, ἀλλὰ δεικνὺς μέχρι πόσου δεῖ πείθεσθαι τῷ θεῷ. Alter, *In figulo ſola voluntas eſt: in Deo autem voluntas cum juſtitia; ſcit enim cujus debeat miſereri.* Sequitur locus ille periculoſè[x] στρεβλούμενος à quibuſdam,[y] σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Occurrit Pater Græcus,[z] οἴκοθεν μέντοι καὶ παρ' ἑαυτοῦ, οὔτε γὰρ ὁ θεὸς ἐνέλιπέ τι τῶν εἰς τὴν κατόρθωσιν ἡκόντων τὴν ἐκείνου, οὔτε αὐτὸς ἐνέλιπέ τι τῶν ἀπολλυόντων αὐτόν. Latinus. *Diu exſpectati conuerti noluerunt. A Deo ergo exſpectati ſunt, vt inexcuſabiles perirent: ſciuit enim Deus hos non credituros.* Nobilis eſt ille ad Epheſios locus,[a] ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου. Vbi ille,[b] ὁ θεὸς τοὺς δοκίμους ἐξελέξατο. τὸ ἐκλεγῆναι καὶ τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας τεκμήριον καὶ τῆς αὐτῶν ἀρετῆς. Hic verò

generoſitatem animi & mentem clementem. Nam talis aliquis etiamſi quid abreptus occaſione peccauerit, citò ſemet recuperabit: & quamvis in malo aliquo verſetur, non tamen erit deſpectui, ſed citò ipſum extrahet omniſcius Deus.

u Non hoc dicit tollens libertatem volendi, ſed vt oſtendat quouſque parēdum ſit Deo.

x Diſtortus.

y Vaſa iræ ad exitiū compacta.

z A ſemetipſis: neq. enim Deus quicquā omiſit eorum quæ ad emendationem ipſius pertinebant: neque ipſe omiſit quicquam eorum quæ ſe perderent.

a Elegit nos in ipſo ante iacta mundi fundamenta.

b Deus elegit probos: nam eligi & Dei benignitatis eſt ſignū & ipſorum virtutis.

Præſcius Deus omnium, ſcit qui credituri eſſent in Chriſtum. Et mox: *Hoc dicit decreviſſe Deum, vt credentes in Chriſtum adoptarentur Deo in filios, vt caput ipſorum ſit Chriſtus verus Dei Filius.* Item. *Deus nobis gratiam ſuam dedit, propter quod credidimus in Filium ejus Chriſtum. Diligens enim vnigenitum ſuum; amatoribus ejus diuina munera largitur.* Hieronymus verò: *Ex Dei præſcientia euenit, vt quem ſcit juſtum futurum, prius diligat quam oriatur ex vtero.* Sexcenta ejuſmodi proferri poſſent, alia forte commodiùs, alia minus commodè dicta. Sed nihil neceſſe eſt: neque enim iſtis auctoritatibus quenquam premimus. Homines fuerunt: labi potuerunt. Sunt alij non ignobiles qui diſſentiant, imprimis Auguſtinus. Hoc tantùm dico. An Socinianus fuit Chryſoſtomus, an Ambroſius, an tot alij vetuſtiſſimi Patres? An ſi nunc viuerent, tolerandi in Eccleſia noſtra non eſſent? Ad hæc mihi reſponderi velim. Si quis non tolerandos dicat, ejus arrogantia pijs omnibus erit intolerabilis: ſi tolerandos putat illos, ne ſit[c] προσωπολήπτης: valeat æquitas, quæ in eadem cauſſa ius idem deſiderat. Alia autem tria quę reſtant Remonſtrantium Enunciata ejuſmodi ſunt; vt patronos reperire poſſint, non modò in illa prima antiquitate, ſed ipſum quoque Auguſtinum; non jam dico qualis erat

quum

[c] *Reſpector perſonarum.*

quum aduerſus Manichæos ſcriberet, ſed etiam qualis fuit, quum Pelagij dogmata oppugnaret: quanquam mos eſt iſte humani ingenij, vt calor nos contentionis plerumque longiùs quam par eſt, abripiat. De morte Chriſti quid docet aliud, quam quod Auguſtini dogmatum tenaciſſimus Proſper, *redemptos per eam omnes, ſed non omnes è captiuitate erutos?* Qui & alibi ait: *durius quam loquendum ſit, loqui eos qui dicunt, quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum.* Et multis in locis repetit, *non negandum quin & velit Deus* ([d] κατὰ τὴν θέλησιν τὴν προηγουμένην) *omnes homines ſalvos fieri, & tamen non omnes ſalvi fiant.* Chryſoſtomus verò, [e] τό γε αὐτοῦ τοῦ θεοῦ μέρος ἐσώθησαν ἅπαντες. Et in verba, [f] ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον, vetat nos intelligere [g] ἁπλῶς ἀποκλήρωσιν. Gratiæ operationem negant talem eſſe, cui reſiſti non poſſit. Primíne omnium? An verò Caluinus & alij contra libertatem arbitrij exclamantes ſæpè repetunt, *non audiendos hic Patres?* Iuſtinus Martyr Apoſtolicis temporibus proximus ait, [h] κατὰ προαίρεσιν ἕκαστον κατορθοῦν καὶ ἁμαρτάνειν· οὐ γὰρ ἦν ἐπαινετὸν οὐδὲν εἰ οὐκ ἦν ἐπ᾽ ἀμφότερα τρέπεσθαι. Et alibi laudat vt à Moſe ſumtum illud Platonis; [i] αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. [k] Et, εἱμαρμένην ἀπαράβατον ταύτην εἶναι, τοῖς τὰ καλὰ ἐκλεγομένοις τὰ ἄξια ἐπιτίμια καὶ τοῖς ὁμοίως τὰ ἐναν-

d Secundum antecedentem voluntatem

e Ex Dei parte ſeruati ſunt omnes.

f Niſi datū ipſi ſit.

g Simpliciter diſſortitionem.

h Iuxta voluntatis electionem vnumquemque aut rectè viuere, aut peccare. Nihil enim eſſet laudabile niſi in vtrumque verti poſſemus.

i Eligentis culpa eſt: Deus culpæ exſors.

k Fatum hoc eſſe immutabile, vt rectè eligentibus digna merces; contrarium facientibus

pana reddantur.

ῦα, τὰ ἄξια ἐπίχειρα. Irenæus itidem antiquiſſimus. *Non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum & ſuæ poteſtatis arbitrium ſeruauit Dominus, dicens, ſecundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem hominis oſtendens, quoniam ſuam habet ſententiam.* Chryſoſtomus quoties vapulat, vt nimius arbitrij prædicator, qui tamen vbi neceſſe eſt gratiæ neceſſitatem non obſcurè inculcat? Ejus hæc ſunt. [l] εἰ οὖν πάντες ἥμαρτον, πῶς οἱ μὲν ἐσώθησαν, οἱ δὲ ἀπώλοντο; ὅτι μὴ πάντες προσελθεῖν ἐβουλήθησαν. Et alibi, [m] εἰ γὰρ χάριτι, φησὶ, διατί μὴ πάντες σωζόμεθα; ὅτι μὴ βούλεσθε. ἡ γὰρ χάρις, κἂν χάρις ᾖ, τοὺς ἐθέλοντας σώζει, οὐ τοὺς μὴ βουλομένους αὐτὴν καὶ πολεμοῦντας αὐτῇ διηνεκῶς. Et in illo Ioannis, [n] οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτόν, verbo [o] ἑλκύσῃ ait denotari [p] βοήθειαν, verbo [q] ἐλθεῖν, τὴν προαίρεσιν. Proſper verò *non ſanam eſſe* dicit *adſertionem exiſtimantium, quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium.* Et extat contra eoſdem Auguſtini liber: cujus & illa citari ſolet ſententia, *Conſentire vocationi aut non conſentire, propriæ voluntatis eſt.* Item, *Vt velimus, ſuum eſſe voluit & noſtrum, ſuum vocãdo, noſtrum ſequendo.* Ad Pelagianos quoque ita ſcribit: *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem vtrique dicimus. Non hinc eſtis Cæleſtiniani aut Pelagiani.* Et alibi: *Fides ſane Catholica,*

l Si igitur peccarunt omnes, quomodo alij ſervati ſunt, alij perierunt? Quoniam non omnes voluerunt venire.

m Si gratia, dicat aliquis, cur non omnes ſervamur? Quia non vultis. Nã gratia etſi gratia eſt, volentes ſervat, non invitos, & ipſi aſſiduè reluctantes.

n Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater qui miſit me traxerit ipſum.

o Traxerit.

p Auxilium.

q Venire, voluntatis electionem.

tholica, neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt ſine Gratia Dei valeat aliquid. Hieronymum enim citare nihil neceſſe eſt, quem Libero arbitrio plus multo detuliſſe, quam Auguſtinum, Sibrandus ipſe alibi nos ignorare non patitur. De Perſeueratione, an ſit omnium qui verè credũt, dubitant Remonſtrantes. At non Chryſoſtomus, qui verba Chriſti, [r] *ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ*, ita explicat, [ſ] *τὸ ἐμὸν μέρος· ὅπερ καὶ ἀλλαχοῦ σαφέστερον δηλῶν ἔλεγεν· οὐ μὴ ἐκβάλω αὐτὸν ἔξω· οὐ παρὰ τὴν ἐμὴν αἰτίαν, οὐδ᾽ ἐμοῦ ὠθοῦντος· οὐδὲ ἐγκαταλιμπάνοντος· εἰ δὲ ἀφ᾽ ἑαυτῶν ἀποπηδῶσι, πρὸς ἀνάγκην οὐχ ἕλκω.* Non Auguſtinus, qui in poſtremis ſcriptis ita loquitur. *Mirandum eſt quidem multumque mirandum, quod filijs ſuis Deus quibuſdam quos regenerauit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat Perſeuerantiam.* Et Ioannis verba, *Si fuiſſent ex nobis*, ita interpretatur; *non quia juſtitiam ſimulauerunt, ſed quia in ea non permanſerunt.* Ejuſdem hæc ſunt: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?* Item: *Credendum eſt quoſdam de filijs perditionis non accepto dono perſeuerandi vſque ad finem, in fide quæ per dilectionem operatur incipere viuere, & poſtea cadere.* Et Proſper. *Qui ad obediendum ſibi ipſum*

[r] Vt quicquid Pater mihi dederit, inde nihil perdam.

[ſ] Ex mea parte: quod & alibi clarius explicans dixit: non eyciam ipſum foras: non mea culpa, non me protrudente, non derelinquente, quod ſi ſponte abſiliant, non traho illos neceſſariò.

ſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem quæ poteſt nolle, non auferat: alioquin nemo vnquam fidelium receßiſſet à fide. Et alibi: *Certißimè nouerimus, nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui, neque cujuſquam ruinam ex diuina eſſe conſtitutione diſpoſitam: ſed multis qui jam iudicio rationis vtuntur, ideò liberum eſſe diſcedere, vt non diſceßiſſe ſit præmium.* Item. *Prædeſtinatio apud nos, dum in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt.* Audebitne etiam Auguſtinum quiſquam & Proſperum Pelagianiſmi accuſare? Poſt Auguſtini tempora, de Prædeſtinatione & Gratiæ cum libero arbitrio conueniéntia variatum inter Scholaſticos opinionibus fuit, cujus certaminis reliquiæ inter Ieſuitas & Dominicanos hodieque manent. Ipſa quæ nunc eſt Romana Eccleſia, quæ alioqui nimia facilitate dogmata quæuis aut ſancit aut damnat, controuerſiam de Prædeſtinatione non definiuit: ſiue tam obſcuram inuenit, vt definiri non poſſet, ſiue tam non neceſſariam, vt definiri non deberet. Quò magis mirari libet, eſſe qui vt ſuam ſententiam populo commendabiliorem reddant, eam dicant proximè exactis ſæuitiæ temporibus, multorum martyrum ſanguine ſignatam: quo haud facilè vanius quicquam excogitari potuit: præſertim quum illi ipſi dicere ſoléant

leant, ſecum ſentire Thomam Aquinatem & Thomę ſcholam. Quaſi verò Romani Pontificis ſatellites ferro ac flamma vlturi fuerint opinationes nunquam ab Eccleſia ſua damnatas, magiſtrorum autem celeberrimis defenſas. Quod ſi emendatioris religionis cœtus reſpicere libet, ſtant ſanè iampridem multi à Sibrando; ſed neque Germanicas Eccleſias Auguſtanam Confeſſionem ſequentes, & alterius hac in parte ſententiæ, alienas à corpore noſtro viri pij ac moderati hactenus exiſtimarunt. Laudentur ſanè Caluinus, Beza, Martyr, Bucerus, alij: dum non minor illis ſit Melanchthon, ſiue eruditionem, ſiue pietatem ſpectes. Quid ille igitur? *Aliam eſſe cauſſam juſtificationis, aliam electionis negat. Promiſſiones eſſe vniuerſales ait, nec quærendam aliam Dei voluntatem. Simpliciter intelligendum, Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Propter Filium Dei offerri miſericordiam apprehendentibus. Cauſſam reprobationis eſſe pertinaciam aduerſus Filium. Removendas eſſe à Paulo Stoicas diſputationes, quæ fidem & invocationem euertunt: quomodo enim,* inquit, *poteſt Saul credere aut invocare, quum dubitat promiſſionem ad ſe pertinere, aut quum obrepit tabula Parcarum: jam decretum eſt, te reijciendum eſſe, non es ſcriptus in numero Electorum?* Hæc de Prædeſtinatione. De reconciliatione autem per

mortem Chriſti, impetratam eam omnibus, manifeſtè ſentit, quum non patitur illas ſententias, *Sic Deus dilexit mundum*, &c, *concluſit omnes ſub peccatum vt omnium miſereretur*, non vniuerſaliter ſumi. Gratiæ reſiſti poſſe non dubitauit: citat enim toties illud Baſilij,[t] *μόνον θέλησον, καὶ θεὸς προαπαντᾷ*. Et Chryſoſtomi,[u] *ὁ δὲ ἕλκων βουλόμενον ἕλκει*: contrariam ſententiam Manichæam & Enthuſiaſticam vocat. Tres ait bonæ actionis cauſſas concurrere, verbum Dei, Spiritum Sanctum, & humanam voluntatem, aſſentientem, nec repugnantem verbo Dei: *poſſet enim*, inquit, *excutere*. Et veteres citat, qui *liberum arbitrium eſſe* dixerunt *facultatem in homine applicandi ſe ad gratiam*. Perſeuerationem quoque non omnium eſſe credentium apertè ſtatuit, quum amitti gratiam, fidem, Spiritum Sanctum, toties inculcat. Nō probauit hæc Caluinus: exſtant enim[x] *ἀμοιβαῖοι* vtriuſque hoc de argumento epiſtolæ: attamen, quum locorum communium Melanchthonis liber, in quo exſtant citatæ modò ſententię Gallico ſermone ederetur, honeſtiſſimum Caluinus teſtimonium & auctori & libro præbuit, ac de illis ipſis controuerſijs agens, quum judicium Philippi probare ipſe non poſſet, excuſauit tamen. Hic iterum interrogo rigidos iſtos Cenſores, qui tolerabile nihil putant, niſi

quod

t *Tu velis tantum & Deus obuiam præcurrit.*

u *Qui trahit, volentem trahit.*

x *Mutuæ.*

quod ipſis placet, an ſi viueret Melanchthon, ſi ad nos veniret, docendi poteſtatem illi eſſent negaturi, quem & chariſſimum & venerandum Fratrem Caluinus agnouit, cujus ſcripta tantopere commendauit? quem niſi plenis reuerentiæ vocibus vix vnquam nominauit Beza? Sed euoluantur ipſæ Eccleſiarum in ſumma fidei nobiſcum conſentientium Confeſſiones. Aliæ quæſtiones de Prædeſtinatione omittunt, aliæ omitti etiam iubent. De promiſſionibus vniuerſalibus, quas ſinguli applicare ſibi teneantur, multa in multis mentio: negant aliæ eſſe hominem in regeneratione merè patiẽtem. Auguſtana, damnat Anabaptiſtas, qui negant, ſemel juſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum. Vetus Anglicana Eduardi Regis affirmabat, decretum Prædeſtinationis nobis eſſe incognitum: nec ita pridem quum ab auctoribus Lambethanarum Aſſertionum Whitackerus firmandæ ſententiæ ſuæ poſtulaſſet probari hoc effatum; Fidem veram ac Iuſtificantem non amitti, additæ ſunt ab illis voces duæ, in electis, ſine quo additamento tutò concedi iſtud [y] ἀξίωμα non poſſe, arbitrabantur. Nemo Caluini ſententiam animoſius defendit Wilhelmo Perkinſo: Idem tamen fatetur, dogma illorum quos Lutheranos vocat, de Vniuerſali electione

[y] Enuntiatum.

omnium hominum non tale eſſe, quod fundamentum ſubuertat: & eorum cœtus eſſe veras Dei Eccleſias agnoſcit. Ad nos vt veniamus: In crepuſculo elucеſcentis veritatis plurimi majorum noſtrorum Eraſmi & noſtratis, & fama clari ſcriptis adhæſere, qui de his controuerſijs quid ſenſerit, ex ipſius cum Luthero contentione apparet. Sed Paſtores nobis poſteà ex Gallia, aut ex vicinis Galliæ locis aduenerunt, ſecum ferentes ea placita quæ illis in regionibus magis probabantur. Plebis itaque pars magna ſponte ſua in Eraſmi ſententiam pronior: itaque & Anaſtaſij cujuſdam Veluani liber in eandem partem diſputans lætiſſimis animis exceptus fuit: & Diderici Cornharti cauſſam multis alioqui nominibus exoſam nihil tam fauorabilem fecit, quam quod de Prædeſtinatione [z] καὶ περὶ τοῦ αὐθαιρέτου cum Eraſmo ſentire crederetur. Non ceſſabant interim Paſtores quæ ipſi didicerant alios docere, præſertim qui Geneuæ aut in Palatinatu ſacris litteris operam dederant. Fuere tamen ſemper inter ipſos etiam Paſtores qui obloquerentur: & compluresejus diſſenſionis manifeſti, jam olim ad cathedram admiſſi ſunt, aut in ea retenti; idque eo æquius videbatur, quod ne Confeſſio quidem Belgica iſtam queſtionem clarè ſatis definiret. Is erat harum controuerſiarum ſtatus antequam

[z] Et de ſpontanea voluntatis humanæ electione.

quam

quam Arminius in Lugdunenſem Academiam veniret. Quid hic ſentiret, ne ante quidem ignotum erat, & poſtquam ad publicũ docendi munus vocatus eſſet, magis magiſque innotuit. Et tamen ſparſo rumore, magna eſſe inter Profeſſores diſſidia, Arminius, Gomarus, Trelcatius, Cuchlinus teſtati ſunt, manuque ſua ſignarunt, nullum diſcrimen, quod quidem conſtaret, eſſe inter Profeſſores de Fundamentis doctrinæ. Sed poſteà hominum minus pacatorum interuentu, vẽtilata hac diſſidij face, primum iuſſu Ordinum Hollandiæ Gomarus & Arminius in ſummo Senatu juridico auditi ſunt, & doctè vterque apud doctos cauſſas ſuæ quiſque ſententiæ expoſuerunt. Retulit Senatus, *Nihil tale ſibi compertum, quod ſalva pace Eccleſiæ tolerari non poſſet.* Mox in ipſo Ordinum Conuentu ijdem Doctores de eodem argumento diſſeruerunt. Idem Conuentui, quod antè Senatui viſum eſt. Mortuo deinde Arminio, Paſtores qui cum ipſo ſenſerant, veriti, ne partis alterius in ſe iniquitate Eccleſijs deturbarentur, Ordinibus eum quem ante diximus libellum exhibuere. Poſtquam ſeni vtriuſque partis auditi diu voce ac ſcripto omnem iſtã capitum quinque controuerſiam diligentiſſimè pertractauerant, Ordines Hollandiæ neutros fecere victores, ſed vtroſque iuſſerunt Chriſtia-

nam ac fraternam charitatem colere, omnia ad pacem dirigere, apud plebem ijs de rebus ſobriè ac moderatè diſſerere. Idem vt porrò facerent, auctor ipſis fuit magnus Britanniæ Rex. Sibrandus contrà malè factum iudicat. Vtri credemus? Sibrandus & nunc & antehac non Hollandiæ tantùm Ordines, ſed & Fœderatos accuſat, quod hoc negotium non Synodo permiſerint. At hoc ipſum eſt quod diſſuadet Regum doctiſſimus: quia vix vnquam diſceptationibus Theologorum id genus controuerſiæ tranſigantur. Ille tamen & ius diuinum, & morem antiquitatis pro ſe facere audacter aſſeuerat. Hic illud primùm mirari conuenit, quomodo ſoleant Theologi quidam pro vſu temporum dogmata immutare, & quæ quondam in Romanenſibus oppugnarunt, ea vbi neceſſe eſt, à Romanenſibus mutuari. Clamabant noſtri, inferiores quum eſſent aduerſariis, ad Regem Hiſpaniæ, Belgij tunc Principem: Tuum eſt his de rebus iudicare: tuum eſt erroribus ſe, vtcumque longa ætate radicem duxerunt, opponere: Verba enim hæc ſunt, libelli ſupplicis omnium Reformatorum nomine exhibiti. Quid tum illi qui ſe Eccleſiam vocabant? imò noli Rex cognoſcere de ijs quæ ad te non pertinent, Eccleſiæ eſt iſta cognitio, tibi tempo-

ralium

ralium cura mandata eſt, ſubtiliora ſunt iſta quã vt tu capias. Tridenti habetur Synodus, ejus eſt de Fidei quęſtionibus iudicare: tuum eſt credere, tuum eſt exſequi. Quid hic integros deſcribam noſtrorũ libros, qui iſtas voces firmiſſimis rationibus refutarunt? Tua, Sibrande, verba agnoſce. *Ex illo tempore quo Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa ſunt. Regis munus fuit in Veteri Teſtamento Dei cultum integrum cuſtodire, & quum collapſus eſſet, eum iuxtà legem ſcriptam inſtaurare, & hoc ipſum ad illos quatenus Reges erant pertinuit. Manifeſtum eſt hoc non vt Sacerdotes, nec vt Prophetas, ſed vt Reges feciſſe. Vnde neceſſariò ſequitur, & Regum Noui Teſtamenti, quatenus tales ſunt, munus eſſe, Dei cultum iuxta Scripturam Sacrã integrum cuſtodire, & quum collapſus eſt, ad Scripturæ normam inſtaurare. Dicimus, Regem debere videre, vt Dei cultus ſecundum legem ſcriptam conſtituatur, & vt Sacerdotes Deum ſecundum legem ſcriptam colant, & quum cultus Dei à lege ſcripta recedit, liberè Regem eum ad legem ſcriptam reducere, & Sacerdotes adigere, vt Deum ſecundum legem ſcriptam colendum doceant. Non quicquid Sacerdotes blaterant iubebũt obſervari, ſed quicquid Deus in Sacra Scriptura obſeruandum iuſſit, obſervari iubebunt, & eos qui contra faciunt coërcebunt. Sed hoc facere*

non poſſunt, niſi IVDICENT *quid Deus mandauerit. Paulus declinans Sacerdotum judicia, ſe imperiali iudicio commiſit. Manifeſtum eſt, Imperatorem in re Eccleſiaſtica judicare poſſe.*[a] εὖγε, σοφῶς. Nunc verò quantum mutatus ab illo Hectore? *Non debent Ordines quod aliorum eſt ſibi arrogare. Qui hoc jus quod Deus Prophetis conceſſit, illis adimere conatur, ordinis diuini perturbator eſt. Prophetarum eſt iudicare de prophetijs. Legi Dei obtemperabunt, ſi de prophetijs iudicandi ius ac morem relinquant Prophetis.* Qui autem ſunt illi Prophetæ ad quos judicium iſtud ita peculiariter ſpectat? Synodi, inquit: & vbi apertius loquendum eſt, Epiſcopi, hoc eſt, miniſtri; preſbyteri, hoc eſt, miniſtrorum annui adſeſſores: deinde (ne ſui ordinis oblitus videatur) doctores, hoc eſt, Academici Profeſſores. Quæ ſit in Synodis ſummarum poteſtatum auctoritas, viderimus poſteà, nunc enim id non agitur. Id quæro, Audéſne affirmare, nihil vnquam Chriſtianos Principes abſque Synodis ſtatuiſſe in re Fidei, ne hactenus quidem, vt diſſenſionibus exulceratos partium animos ſanarent? Si id factum, & potuiſſe fieri fateris, cur in Epiſtola ad Ordines Fœderatos, cur in hac ipſa omnia mala illis imputas, qui in Synodis convocandis difficiliores fuere, Synodos vt vnicam morborum omnium medicinam

[a] Reſcr. ibid.

medicinam, neruum vnicum Eccleſiaſticæ tranquillitatis, vrgere non deſinis, Chriſtianos denique Principes dum ſtetit Eccleſiarum libertas, Synodis hæc iudicia reliquiſſe affirmas? Sin verè ita ſentis, vt poſtrema hæc ſcripta præ ſe ferunt, vide ne te & vetus hiſtoria & plurima recẽtium, tua quoque ipſius ſcripta conuincant. Whitackerus vir magni meritò nominis, Concilia negat ſimpliciter eſſe neceſſaria. *Nam ſi ſimpliciter neceſſaria fuiſſent*, inquit, *Chriſtus alicubi præcepiſſet celebrari, aut ejus ſaltem Apoſtoli, quod tamen nuſquam factum eſſe legimus.* Illuſtre eſt Theodoſij ſenioris exemplum, qui orta per Eccleſias quæſtione, An filius Dei haberet [b] ἀρχὴν ὑπάρξεως, omnium ſectarum principes ad ſe conuocatos ore primùm, deinde ſcripto edere iuſſit ſuæ quemque ſententiæ confeſſionem: & cum Deum in arcano oraſſet, [c] συνεργῆσαι αὐτῷ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐπιλογήν; tandem re apud ſe perpenſa laudauit Catholicos, damnauit hæreticos; Novatianos verò tolerari voluit. Admordet hoc factum Bellarminus; at defendit Whitackerus, & ait, plus boni inde ſecutum quam ex vllo vnquam Concilio. Ipſe Sibrandus rectiſſimè ex eo concludit, judicaſſe de cauſſa fidei Imperatorem & quidem abſque vlla Synodo. Nam etſi præceſſerat iamdudum Nicena definitio, id tamen

b Exiſtendi principium.

c Cooperari ſibi ad reperiendam veritatem.

Sibrando auctore ad rem non facit. Saltem enim id fatendum eſt, iudicaſſe Theodoſium, an quæ tunc circumferebantur dogmata Nicenæ fidei conuenirent. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſiquis velit percurrere, multa inueniet Principum [d] ἑνωτικὰ διατάγματα, multa alia aut ab illis aut à Patriarchis & Metropolitis ſalubriter abſque Synodis conſtituta. Citat Whitackerus Iuſtinianeas Conſtitutiones, in quibus ſtatuit, definit, mandat, de rebus Eccleſiaſticis. *Tantum*, inquit, *ipſe ſibi tribuit quaſi iure ſuo, nec vnquam eſt propter hoc à quoquam reprehenſus. Vnde intelligimus, leges Eccleſiæ datas eſſe ab Imperatore etiam ſine Concilio.* Neque tamen aut Whitackerus aut Sibrandus iſta quum dicerent, quæ jam retulimus, aut nos hæc quum dicimus, Synodos aſpernamur, quas ſcimus mirum in modum Eccleſiæ profuiſſe, præſertim quum adblandiens aliquis error multorum piorum conſentiente teſtimonio nudandus atque ita traducendus fuit. Sed illud duntaxat dicimus, non omnibus locis atque temporibus remedia omnia conuenire. Poſſe res eas accidere, ob quas neceſſarium non ſit, Synodum haberi: poſſe eos eſſe homines, vt etiam inutiles ſint futuræ. Fac vnum aliquem inueniri, qui veterem & damnatam antiquioribus Synodis hæreſin nouo paxillo ſuſpendat, nullo adhuc in-

[d] *Edicta pacifica.*

gregem

gregem contagio. Hic, nonne à pio magiſtratu deſtitui à munere ſuo poterit? an quoties id eueniet, vocandum erit Concilium? Fac rurſus, in rebus momenti non maximi diſputationes eas exoriri inter Paſtores, quæ ſemper in Eccleſia toleratæ fuerint, non poterit pax imperari, niſi coacta Synodo? Contrahamus hæc ad noſtram facti ſpeciem. Ob controuerſias de Prædeſtinatione & quę adhærent, Synodum habitam multi vellent. Nempe vt quid credendum eſſet, ibi definiretur. Quo fructu? Nam cur ego, dicet aliquis, cętum miniſtris, & inter eos multis à Schola recentibus credam, contra præclariſſimos auctores multos Occidentis, Orientis autem omnes? At potuit Synodus iudicare tolerabiles eſſe vtraſque opiniones. Quid ad hoc opus Synodo?

Scimus, & hoc nobis non altius inſeret Ammon.

Perſuadet hoc mihi Apoſtolus, [e] τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν: perſuadent tot veterum exempla, Auguſtini præſertim & Hieronymi: perſuadent & nouorum, vt Caluini & Melanchthonis: perſuadent Confeſſiones tot Eccleſiarum quæ nobis ſunt [f] σύσσωμοι: perſuadet Regis [g] εὐσεβεστάτου, &, vt ego interpretor, cum ipſo Britanniæ totius conſilium. His auctoritatibus qui refragabitur,

e *Infirmum fide adſumite non ad diſputationum certamina.*

f *Concorporei.*

g *Religioſiſſimi.*

is nec Synodo cedet. Apparere hinc poteſt, non fuiſſe neceſſariam Synodum: ne vtilem quidem futuram fuiſſe, alia euincunt. Incipiebant ex diſputatione incaleſcere Paſtorum animi, nemo ferme ſe continebat: nemo erat à præjudiciis liber; nemo cujus non ſententia tam nunc dici poſſet, quam ſi eam in Synodo protuliſſet. Ecquę ſpes erat, horum conuentum, quum iam ἐν ἀκμῇ eſſet ipſa contentio, aut ad veritatem confirmandam ſatis ponderis, aut ad ſtabiliendam cōcordiam ſatis æquitatis habiturum? Nazianzenus de Synodis durius locutus eſt: [h] φεύγειν enim ſe dixit [i] πάντα σύλλογον ἐπισκόπων, quod nullum vidiſſet conuentum, qui non magis habuiſſet [k] προσθήκην quam [l] λύσιν κακῶν· αἱ γὰρ φιλονεικίαι καὶ φιλαρχίαι λόγου κρείττονες. Excuſatur ſuorum temporum ratione, quæ ita deſcribit Hilarius: *Dum in verbis pugna eſt, dum de nominibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de auctoribus querela eſt, dum de ſtudijs certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, prope jam nemo eſt Chriſti.* Et alius quantumvis Ethnicus auctor: *In ſcrutanda perplexius quam componenda Chriſtiana religione; abſoluta & ſimplici, grauius excitata diſſidia, quæ progreſſa fuſius aluit concertatio verborum; cateruis antiſtitum vltrò citróque diſcurrentibus per Synodos quas vocant.*

h Vitare.

i Omnem Epiſcoporum conuentum.

k Augmentum.

l Diſſolutionē malorum: nam litigandi & alijs imperitandi cupido plus quam ratio valent.

cant. Quæ tunc eſſe ratio potuit Synodos perhorreſcendi, eadem eſſe nunc etiam poteſt: niſi putamus, auream Eccleſię ætatem in vltima hęc ſecula reſeruatam. Extat Philippi Haſſiæ Principis ad Chriſtophorum Ducem Wirtenbergenſem prudens ſanè epiſtola, in qua à Flaccio Illyrico & alijs Ienenſibus Theologis ad Synodum inuitatus, reſpondet, quamdiu ea eſſet quæ conſpiceretur quotidie animorum feritas, & vel leuiter diſſidentes condemnandi prurigo, ſpem nullam oſtendi ex iſtis conuentibus. Quod ſi propiùs intueri volumus ea quæ apud nos acta ſunt, facile apparebit, non habitæ Synodi culpam penes ipſos hærere qui Ordines Fœderatos tam irreuerēter accuſant. Anno cIↃ IↃ cvi. quum jam feruere paſſim inciperet de Prædeſtinatione cōtentio, Paſtores è diuerſis locis venêre oratum Fœderatos Ordines, vt Belgica Synodus conuocaretur. Non tulerunt repulſam. Sed quū in decreto mentio fieret recognoſcendæ Confeſſionis & Catecheſeos, offenſi illi his verbis, id quod petierant atque impetrauerant, omiſere. Erátne res adeò noua atque inſolens quæ à Fœderatis Ordinibus imperabatur? Imò iam octo erant anni ex quo Ordines Hollandiæ ſimiliter in Synodum Belgicam adſenſerant, in hunc finem, vt in ea Confeſſio examinaretur. Synodi

duæ Hollandiæ, Gorcomienſis altera, altera Delphenſis pridem idem faciendum decreuerant. Ratio quoque & mos Eccleſiarum idem præcipiũt. Sola Sacra Scriptura eſt[l] ἀνεξέταστος. Hoc priuilegium humanis ſcriptis arrogare, eſt ea in Canonem referre. Itaq; Vrſinus rectè notat, Omnia illa[m] τῶν ἐν μέρει ἐκκλησιῶν Symbola, non ab alijs dũtaxat, ſed ab ipſis quoq; à quibus recepta ſunt, poſſe & examinari & corrigi. Oleuianus addit amplius, eos qui ſcriptum aliquod proferunt, quod non liceat quouis tempore examinare & de eo iudicare ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, eos ſibi diuinam vſurpare majeſtatem, & qui illud iugum ſubeunt, adorationem ſoli Deo debitam aliò transferre. Omnium in Gallia Synodorum hoc initium eſt, relegere Confeſſionem & iudicia exquirere. Auguſtana Confeſſio ſanè mutata eſt, nec minus Anglica. Quanto magis æquum eſt, experiri an nihil ſit emendandum in ea Confeſſione, quæ non à Synodo vlla primitus compoſita eſt; ſed grauiſſimo[n] διωγμῷ tempore à pijs aliquot in hoc properato labore concepta, vt apud infenſum Regem Apologię vicem præſtaret: aut etiam in Catecheſi, quam ne fecimus quidem ipſi, ſed vt fieri ſolet in ſubita egeſtate ab alijs mutuati ſumus? Imò vt demus annorum quinquaginta obſeruatione nihil potuiſſe

l Extra examinis aleam poſita.

m Eccleſiarum particularium.

n Afflictionum.

tuiſſe deprehendi, quod in illis ſcriptis aut deficeret, aut redundaret, aut ſi non verius, certè commodius & ad pacem noſtrarum Eccleſiarum aptius dici poſſet, tamen hunc vſum dabit legitima diſquiſitio, vt conſtet orbi, quam formam doctrinæ ſequimur, eam nos non caſu aut more, ſed ratione ac iudicio ſequi. Simul illuſtri teſtimonio apparebit, tanti à nobis iſtas formulas, quanti debent, nec pluris fieri, & (quod vel præcipuum eſt) priuatæ contradictionis licentiam tollet admiſſa ſuo loco ac tempore & certo ordine temperata libertas. Fruſtrà igitur Synodum inuocant, qui tam iuſtas Synodi leges recuſauerunt; vt nunc omittam, quod mox tractandum eſt, ab ijſdem hominibus non eam quæ debet agnoſci in Synodis ſummorum Magiſtratuum auctoritatem. Has ergo ob cauſas quum Synodus haberi nondum poſſet, dubium ne eſt, quin potuerint Ordines aliquem ſaltem pro tempore Eccleſiaſticis contentionibus modum imponere? Opponit ſępe Sibrandus Apoſtolicum illud, [o] προφῆται δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν. Et illud, [p] πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. quæ ita explicat, quaſi Apoſtolus certi generis homines deſignaret, & quaſi ijs ſolis de doctrina iudicandi faceret poteſtatem: quorum neutrum illi concedi poteſt.

o Propheta duo aut tres loquantur: alij examinent.

p Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.

teſt. Notum enim eſt [q] προφητείαν in prima Eccleſia non tam perpetui muneris alicujus, quam doni fuiſſe nomen, vt & [s] ἰάματα & [t] γλώσσας. Quę tunc mirabiliter & [u] ἀμέσως Deus multis in Eccleſia, ſed pręcipuè orantibus conferebat, eadem nunc confert orantibus quidem, ſed & laborantibus. Nemo autem veterum vim aliquam illis verbis ineſſe credidit, quæ iudicium reſtringeret, quum potiùs ideò ſcripta ſint, vt omnes ij qui Prophetas audiebant, diligenter attenderent, an vera eſſent quæ docerentur. Ita enim explicat Chryſoſtomus, [x] ἠσφαλίσατο μόνον τὸν ἀκροατήν. πρὸς γὰρ τὴν τῶν ἀκουόντων πληροφορίαν τοῦτο εἴρηκεν. & ſequentia ſatis oſtendunt, [y] ἀδελφοί μου, ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν. Quod ſi Ambroſij interpretationem ſequimur, nihil minus ꝓbat hic locus quã quod vult Sibrandus. Ille enim [z] διακρινέτωσαν exponit, interrogẽt de his quę forte in ambiguum veniũt, aut quæ aſſequi aliquis non poteſt. Spiritum autem Prophetarum non alijs Prophetis, ſed ſuum cuique Prophetæ ſpiritum ſubjectum eſſe interpretatur: dictúmque id, vt ingenia accenderentur hac ſpe quod Spiritus conatus adjuuet. *Deſiderio enim optimo ad Dei res enarrandas ſubuenire Spiritum, vt impleat boni propoſiti voluntatem. Spiritus*, inquit, *ſubjectus eſſe dicitur, vt conatus bonos adjuuet quum ſuggerit. Subjectus enim videtur, qui cæpta*

[q] *Prophetandi ſiue docendi facultatem.*

[s] *Sanandi morbos poteſtatem.*

[t] *Vſum linguarum peregrinarum.*

[u] *Per ſe, nullius interuentu.*

[x] *Securitati auditoris cõſuluit: nam vt audientes certos tutoſque redderet, hoc dixit.*

[y] *Fratres cum amulatione appetite donum prophetiæ.*

[z] *Examinent.*

cœpta alterius perficit. Itaque hoc præcipuè putat Apoſtolum agere Ambroſius, ne quis alterum non ſinat dicere, quamuis inferiorem, nec donis parem. *Sicut enim totum vni concedi non poteſt, licet potiori, ita & non poteſt alicui quamvis inferiori nihil impertiri, vt nemo ſit vacuus à gratia Dei.* Et morem ait fuiſſe Synagogæ, vt ſeniores dignitate in cathedris ſederent, ſequentes in ſubſellijs, nouiſſimi in pauimento; quem morem imitandùm Chriſtianis proponi: & illis etiam nouiſſimis dandum locum dicendi, nec deſpiciendos, quia membra ſunt corporis: quò pertinere illa putat, [a] *δύνασθε καθ᾽ ἕνα πάντες προφητεύειν.* Sed vtramuis veterum interpretationem ſequamur, illud certum eſt, Prophetis reſpondere non Paſtores aut Profeſſores, ſed omnes eos qui in ſacrarum literarum lectione ſunt exercitati. Nonne ergo ineptum foret, miniſtro alicui iuueni, aut vicano preſbytero plus deferre, quam Pleſſæo, quam Marnixio? Aut nonne perquam abſurdum eſt, quos impoſito preſbyteri nomine judices in templo agnoſceres, eoſdem in Curia vt ineptos recuſare? Dices fortè, certè non obſcurè innuis, ſaltem eos qui in Ordinum ſunt conuentu non eſſe harum controuerſiarum peritos. Nam & in alia epiſtola non veritus es dicere, cum ſint dogmatum doctrinæ Chriſtianæ imperiti, ſummum

[a] *Poteſtis ſinguli Prophetam agere.*

de illis iudicium ipſos ſibi arrogare, perinde quaſi cæcus de coloribus iudicium ſibi poſcat. Quæ verba cui non bono patientiam excutere poſſent? Sed reprimam me. Si noſſes ipſos, Sibrande, aliter credo ſentires; nunc quũ non noſti, neſcio cur libentius id quod pejus eſt, ſuſpiceris. Nihil tam ſeriò & toties Magiſtratibus præcipit Deus, quam vt legem ipſius diligenter euoluant ac meditentur. Ipſa Iuriſprudentia ſine cognitione rerum non humanarum duntaxat, ſed diuinarum quoque manca eſt & mutila. Vel ſolæ Codicis Iuſtinianei Rubricæ iuris ſtudioſos hac in parte officij ſui admonent. Cur tu illos ceſſatores arbitraris, cur officij ſui immemores? Aut ſi id tibi licet, cur ipſis non viciſſim metuere licebit, *ne lex pereat à Sacerdote, ne cæci fiant ſpeculatores ita vt nihil nouerint, ne iacentes dormiant, & ament dormitionem.* Attamen, inſtabit aliquis, auditos oportuit eos quorum peculiare id erat munus, qui vitam in eo triuerant. Factum eſt. Paſtores duodecim vtriuſque partis lectiſſimi, ſententiarum pugnantium argumenta tot ac tanta propoſuerunt, quot aut quanta reperiri poterant. Conſilium etiam dederunt Ordinibus, quid potiſſimum faciendum foret. Quid ſi hoc ipſum Synodum vocare mihi libeat? neque enim vlla lege definitum eſt, quot Synodum faciant. Ma-

jorem

jorem numerum quorſum requiras, neſcio. Dixiſſent plures, non plura. Sed extra diſputatores, alios quis fortè adhibendos putauerit medios. Sed illos medios vbi mihi aut in Belgio aut extrà Belgium monſtrabit? Vbi eſt qui non partes iamdudum fecerit? cujus non interſit, vt ea probetur ſententia quam ipſe antehac defendit? Profectò ſi quærendi hic fuerunt medij, facilius illi inter Magiſtratus quam inter Paſtores inuenientur. An verò id nouum eſt, inter diſſentientes Paſtorum voces Magiſtratum ſedere medium? quā multa ejus rei exempla ſuppeditat antiquitas? Vno ero contentus, quod & Sibrando aliàs maximè placuit. Graue erat certamen in Africa inter Catholicos & Donatiſtas, & quidem de rebus Fidei: Quis fuit iudex? *Marcellinus Notarius cognitor ac iudex ab Imperatore Honorio legatus, qui nulli parti addictus, ſed eodem animo, remotis partium affectibus vtramque partem audiret, & probationes perciperet, quibus cognitis, ferret ſententiam.* Agnouit hunc iudicem ipſe Auguſtinus: agnouerunt Africani Patres. Sententiam tulerunt non Epiſcopi, ſed auditis vtriuſque partis Epiſcopis Marcellinus. Ita inter Romanenſes & eos qui errores Romanæ Eccleſiæ arguebant, ſederunt Heluetij Senatores: inter earundem partium magiſtros ſedit Eliſabetha regina in-

comparabilis, & vnà totius Angliæ proceres: inter Epiſcopos & neſcio quos zelotas (neq; enim Puritanos vocare audeo) ſedit Rex Britanniarum Iacobus. Multa poſſent ſimilia adferri, ſed tædet ſuperuacui laboris. An iudices ſunt, quum rectè (hoc eſt ex ſententia miniſtrorum) iudicant; aliter quum iudicant iudices non ſunt? Id verò abſurdiſſimum: nam iudicem eſſe quam iudicare prius eſt; nec qui malè poteſtate vtitur, ideò poteſtatem non habet. Sed fortè in corrupta Eccleſia ius illud Magiſtratui competit, in ſana & rectè habente non item. Quaſi verò faſſuri fuerint illis temporibus Romanenſes, corruptam eſſe Eccleſiam: aut quaſi id affirmantibus alijs credi debuerit, duntaxat quia affirmabant. Iudicio ergo opus fuit, non quia corrupta fuit Eccleſia, ſed vt hoc ipſum an corrupta eſſet, expenderetur. Nunc autem, an corrumpi Eccleſia non poteſt? ſunt qui id credant, ſecuri nimium homines. Et ſanè credibile eſt, non poſſe breui in eam molem exſurgere vitia, in quam tot ſeculis adoleuerant. Sed non ſolent iſta impetu fieri: vt in Republica ita in Eccleſia periculoſiſſimum [b] τὸ μικρὸν παρορᾶν, οὐ γὰρ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγου. Nihil ergo ab officio ſuo alienum, nihil Apoſtolicis decretis contrarium fecerunt Hollandiæ Ordines, quum de Eccleſiaſticis controuerſijs in-

[b] *Id quod exiguum eſt prætervidere: non enim pauxillum eſt quod paulatim fit.*

conuen-

conuentu ſuo cognouerunt. Atque eò minus reprehendendi ſunt, quod non inter verum falſumque iudicium ſuum interpoſuerunt, ſed inter neceſſarium & non neceſſarium: nam veritas, vt ille ajebat, interdum in profundo demerſa eſt: ſolentque Theologi tantas ſæpe minutias quæſtionum ſectari, vt eas vix doctiſſimus quiſque, vix ipſi intelligant. At de neceſſitate dogmatum cum Theologi noſtri iudicium priuato cuique permittant, qua fronte hoc ipſum Magiſtratui negabunt? Huc adde, quod [c] τὰ ἀμφισβητούμενα non eſſe per ſe aut ſalutifera aut mortifera Paſtorum pars aiebat, pars altera inficiari non audebat. Sed de eo iure quod Magiſtratibus ſummis competit ad dijudicandas res Eccleſiaſticas, infrà iterum dicendi erit locus. Illud verò mirari ſatis non poſſum, quod homo Theologus velut arti ſuæ diffiſus, etiam Politicis agat rationibus, & vt imprudentiæ Ordines conuincat, rationes afferat multas, quibus probet noxia eſſe imperijs de religione diſſidia. Poterat hunc laborem compendi facere, & Lipſij hac ipſa de re diſſertationem tranſcribere: aut etiam ea quę Romanæ Eccleſiæ patroni ſolent dicere, quoties infelicis ſeculi mala, & concuſſi orbis culpam placita ſua non probantibus facundè admodum aſſignant. Quis adeò eſt ferreus, qui nō optet Chri-

c Ea quæ controuerſa ſunt.

ſtianos eadem ſentire, præſertim qui propiori vinculo, & Reformationis nomine inter ſe nectuntur, multóq; magis [b] τοὺς συμπολίτας? Sed vbi non poſſis quod velis, velis quod poſſis. Illud quęritur, ad augendas an ad minuendas Eccleſiæ ſciſſuras pertineat, vt quidque in controuerſiam venerit, de eo ſtatuere [c] ναὶ ἢ οὔ, non obtemperantes aut ab Eccleſiæ corpore aut à miniſterio ſegregare? Ordines Hollandiæ cum Conſtantino Imperatore ſentiunt, [d] δύναται καὶ τὸ τῆς συνόδου τίμιον ὑμῖν ἀκέραιον φυλάττεσθαι, καὶ ἡ αὐτὴ κατὰ πάντων κοινωνία τηρεῖσθαι, κἂν τὰ μάλιστά τις ἐν μέρει πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ἐλαχίστου διαφωνία γίνηται), ἐπεὶ μηδὲ πάντες ἐν πᾶσι τ' αὐτὸ βουλόμεθα, μηδὲ μία τις ἐν ἡμῖν φύσις ἢ γνώμη πολιτεύεται). Sentiunt cum Eraſmo ſuo, *Accedat illa συγκατάβασις, vt vtraque pars alteri ſeſe nonnihil accommodet, ſine qua nulla conſtat concordia: ſed hactenus obſecundetur, vt ne moueantur* [e] τὰ ἀκίνητα, *& hactenus feratur hominum infirmitas, vt paulatim inuitentur ad perfectiora.* Item, *Summa noſtræ religionis, pax eſt & vnanimitas. Ea vix conſtare poterit, niſi de quam poteſt pauciſſimis definiamus: & in multis liberum relinquamus ſuum cuique judicium, propterea quòd ingens ſit rerum multarum obſcuritas.* Sentiunt cum Franciſco Iunio Academiæ quondam ſuæ profeſſore. *Fundamentum appellamus, ſive vt loquuntur vulgò, articulos*

[b] Concives.

[c] Eſt vel non.

[d] Poteſt cõcordia bonos apud vos incorruptus ſeruari, & communio inter omnes atque conſociatio manere etiãſi inter hos aut illos aliqua de minimis rebus ſit diſſenſio: quãdo neque omnes velle eadem poſſumus, neque omnibus eadem eſt aut indoles aut ſententia.

[e] Quæ mouenda non ſunt.

culos fundamentales fidei, eos, ſine quibus fides Chriſtiana conſtare non poteſt; cujuſmodi ſunt articuli de Deo, qui fundamentum eſt ſalutis noſtræ, objectumque fidei immutabile. Qui ergo ſcripturam & fundamentum illud ſalutare tenent, quamvis in rebus ſingulis non æquè ſit explicata illorum fides, tamen ex forma externa quam impreßit Deus, in Eccleſia Dei habendi ſunt. Sentiunt cum Sereniſſimo Britanniæ Rege, cujus ſententiam ita enuntiat, Vir conſummatiſſimæ eruditionis Caſaubonus. *Verißimè autem ſcriptum eſſe in explicatione* [f] *τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων Rex arbitratur, rerum abſolutè neceſſariarum ad ſalutem non magnum eſſe numerum. Quare exiſtimat ejus Majeſtas, nullam ad ineundam concordiam breuiorem viam fore, quam ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſſarijs, & vt de neceſſariis conueniat, omnis opera inſumatur; in non neceſſarijs libertati Chriſtianæ locus detur. Simpliciter neceſſaria Rex appellat, quæ vel expreſsè verbum Dei præcipit credenda faciendaue, vel ex verbo Dei neceſſaria conſequentia vetus Eccleſia elicuit.* Vbi etiam duos ad ſeruandam Eccleſię concordiam gradus monſtrat. Priorem, Rem credere, [g] τὸ ὅπως μὴ περιεργάζεσθαι: Alterum, concordem aliquam ſtatuere rationem externæ communionis, facta interim Doctoribus Sacræ Theologiæ facultate, vt dogmatum alio-

[f] *Eorum quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt.*

[g] *De modo non curioſe inquirere.*

rum veritatem in Scholis placidè inquirant. Hęc illa eſt ratio ſanandæ divulſionis quã Melanchthon toties commendauit, quam in colloquio Monpelgardenſi obtulit Beza, quam in Sendomiriano conuentu ſecuti ſunt Poloni Proteſtantes, tum qui Auguſtanam Confeſſionem, tum qui alias magis probabant: quam ipſe Sibrandus olim laudauit, antequam affectibus iudicium traderet. At illa contraria ratio, de Prædeſtinatione hic à me diſſentit, ferre eum non poſſum: [b] ἑτερόδοξος eſt; hæreticus eſt, Pelagianus eſt, Sociniſta eſt, dimittatur quam citiſſimè; nimium quidem multis hodie placet, ſed & Eccleſiæ & Reipublicæ per ſe noxia eſt, & periculum longè grauius ſecum trahit. Nam quum tot ſint, tamque variæ, quædam etiam obſcuræ admodum in Theologia quęſtiones, fierique non poſſit in tanta ingeniorum diuerſitate, vt idem omnibus videatur, ſi hi qui in re aliqua non admodum gravi diſſident inter ſe, in vna Eccleſia viuere non poſſunt, quid reſtat, niſi vt quemadmodum nimia Romanenſium duritas Proteſtantium diuortio cauſſam dedit, Proteſtantes iterum feralibus Theologorum odijs in Auguſtanos & Reformatos abiere; ita Reformati porrò in alias ſectas, & illæ quoque ſectæ tandem in nouas partes diſcedant, atque ita paſſim nihil

[b] Extrariæ ſententiæ.

niſi

niſi lacera membra, nuſquam autem juſti corporis forma vlla compareat? Hic Donati Spiritus vt ſemper Eccleſiæ Catholicæ, ita nunc quoque Ordinibus Hollandiæ quam maximè improbatur: Et tamen rigidi iſti Cenſores diſcordiarum quas ipſi faciunt cauſam Ordinibus pacis auctoribus aſſignant: ab ipſis dicunt ſemina ſpargi cõtentionum; ab ipſis Eccleſiam, & nequid deſit, Rempublicam quoque euerti. Sed regium eſt, benè quum feceris, malè audire: neq; quiſquam debet ad rem tam vilem atque tam odioſam accedere, niſi qui ad ferendas calumnias benè ſe munierit, vt honeſti conſilij conſcientia fretus audeat dicere;

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Quod verò Sibrandus vbi mala diſſidiorum enumerat, illud quoque addit, *infeſtius eſſe Sociniſtarum odium in Orthodoxos quam in hoſtes veros: quippe quum his permittant, vt quibus in locis imperium ipſi obtinent, ſua quiſque ſacra pro libitu adminiſtrent: illis verò hoc negent:* id quid ſibi velit, non ſatis intelligo. An Sociniſtæ imperium aliquod habeant vſquam gentium, equidem ignoro: ſciat ille, qui vt Socinus auctor vix notus cuiquam, omnium in manibus eſſet effecit; qui nũc quoque hoc ipſo in libro euulgat ſcripta perpetuis tenebris digniſſima. Sin iſto tam infamino-

mine ciuitates Hollandiæ notat, in quibus Prædeſtinationi ab ipſo traditæ non applauditur, rem facit injuſtiſſimam. Nemo ibi hactenus inuentus eſt, qui Socinum defenderet: Orthodoxi cœtus ac ritus vt ante, ita nunc vbique celebrantur. [i] Παρασυνάξεις abruptæ iamdudum à noſtro corpore nec probantur, nec rigidè puniuntur. Schiſma autem nouum ne publicam Eccleſiam vulneret, ſedulò datur opera, citrà Ithacianiſmũ tamen, qui ab Hollandicis ingeniis longiſſimè abeſt. Simile eſt quod ait, *Sociniſtas malle cum Papiſtis ſtare, quàm cum Reformatis.* Veri Sociniſtæ quid faciant, nihil ad nos attinet. Ego tamen crediderim, tantum intereſſe inter Papiſtas & Sociniſtas, quantum inter tyrannidem & effrenem licentiam. Cæterum, quos ille hac appellatione proſcindit, ij, ni fallor, à Papiſmo ſatis ſibi cauent. Id magis cauendum, ne ad Papiſmum accedant noui Diotrephes, [k] οἳ οὔτε αὐτοὶ ἐπιδέχονται τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ τοὺς βουλομένους κωλύουσι, καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλουσι, præſertim quos videamus quum aut decretorum ſuorum auctoritatem defendunt, aut id agunt, vt bicipitem faciant Rempublicam, omnia ſua præſidia ab illis partibus mutuari. Poſtquam hunc in modum diu Sibrandus Ordinibus aliiſque maledixit, tandem ex accuſatore in reum tranſit, & à calumniatori-

bus

[i] *Congregationes ſegreges.*

[k] *Qui nec ipſi recipiunt fratres, & eos qui recipere volunt prohibent, & ex Eccleſia eijciunt.*

bus(ita enim vocat) objectum ſibi ac cauſſæ ſuæ ſocijs Puritaniſmum diluere aggreditur. Nemo ignorat ex Anglia eſſe id nomen, vbi tribui ſoleat hominibus quibuſdam duriceruicibus, qui niſi quod ipſi faciunt, nil rectum putant. Horum hominum facta ac mores quantopere deteſtetur Rex Sereniſſimus, nō vno libro oſtendit. Itaque ſua ac ſuorum intereſſe Sibrandus credit, vt hoc crimen effugeret, præſertim quum in Britannia agere hanc cauſam inſtituiſſet. Complectitur autem Puritaniſmus hęc præcipuè tria. Primum, Regem Eccleſiæ externæ Anglicanæ caput eſſe, aut verbis aut certè rebus ipſis negant. Deinde gubernationem Anglicanæ Eccleſiæ non probant, in qua presbyteris non otioſis, aut morum duntaxat cenſoribus, ſed verbum diuinum & ſacramenta adminiſtrantibus præſunt Epiſcopi, Epiſcopis verò Archiepiſcopi. Poſtremò in vnaquaque controuerſia antiquitati prope nihil, nouis magiſtris omnia deferunt. Ex his tribus quod eſt vltimum prudenter diſſimulat Sibrandus: ad alia autem duo ita frigidè reſpondet, vt ſuo ipſe judicio conuinci facilè poſſit. Ac de auctoritate quidem ſummi Magiſtratus in Eccleſiam vt primùm videamus, largitur illud, Ordines eſſe cuſtodes vtriuſque tabulæ. Gratia eſt habenda pro hac liberalitate. Veruntamen &

Pontificis Romani cohors ſæpe negat eſſe alium Rege ſuperiorem in temporalibus: ſed additis diſtinctionibus duabus, directè, & dum Rex eſt, hoc eſt, dum excommunicatus non eſt, quicquid dextra dedit, læua eripit. Ne tale quid hic etiam lateat, videndum eſt. *Sint ſanè, inquit, cuſtodes, ſed quia cuſtodes ſunt, quod alienum eſt ſibi arrogare non debent: eſt autem alienum de Prophetijs iudicare.* Digna verò ſummis Magiſtratibus cuſtodia hæc, quæ ejus quod cuſtodiendum eſt iudicium non habet. Relinquant, inquit, hoc Prophetis: hoc eſt,

Odi profanum vulgus, & arceo.

Dicit tamen, omnia ſe ea tribuere Ordinibus, quibus contenti fuere Imperatores Conſtantinus & alij à Conſtantino, Carolus Magnus, & nunc ipſe Rex Britanniarum. Id ſi ita eſt, nihil vltrà poſtulant Ordines; Neque verò minus deberi ſibi putant. Nam vt rectè tradunt hi qui Politica tractāt, [1] ἡ αὐτοκρατεία æqualis eſt in omnibus: nec plus habet iuris qui latius imperat. Eadem eſt poteſtas in vna Thebarum ciuitate, & in magno Perſarum rege. Ratio quoq; gubernandi ſiue μοναρχικὴ ſiue ἀριστοκρατικὴ nullum hic diſcrimen facit. Apud Venetos Senatus Rex eſt. Apud nos Ordines cujuſque populi, quorum ſeptem certis legibus in fœdus coiere. Et qui ex regentium

[1] Suprema poteſtas.

gentium ingenio mutandæ religionis periculum metuunt, hiſtorias conſulant, videantque an ſæpius ea incommoda euenerint, vbi imperat vnus, an vbi vniuerſitas. Nos hoc omiſſo, videamus, concedaturne Ordinibus à Sibrando ejuſque ſocijs quantum concedi ęquum eſt, & vt ipſe dicit, quantum Orthodoxi Reges ſibi in Eccleſia vindicarunt. Iuris Magiſtratuum in Eccleſia duo capita attingit Sibrandus (quanquam ſunt & alia) quorum alterum verſatur circa conuentus Eccleſiaſticos majores minoreſque: alterum verò in mandandis Eccleſiaſticis functionibus conſiſtit. De conuentibus vt primùm agamus: in minoribus illis, tum quos presbyteria vocant, tum quos cœtus Claſſicales, aut (vt Sibrandus interpretatur) Diœceſanos, non video vllas aſſignari Magiſtratibus partes, neque ſummis, neque ijs qui ſummorum vice in quaque vrbe funguntur. Et tamen [m] τὸ μεῖζον καὶ τὸ ἧττον non ſunt [n] διαφοραὶ εἰδοποιοί. Ratio quoque vniuerſalis eſt, quam non Whitackerus duntaxat, ſed ipſe etiam Sibrandus alibi allegat: nempe, *congregare homines qualiſcumq; profeſſionis, ad vnam ſemper atque eandem poteſtatem pertinere:* &, *niſi ex Senatuſconſulti auctoritate Collegium, vel quodcumque tale corpus coïerit, contra Senatuſconſulta id Collegium celebrari.* Circa Synodos autem, tum

m *Maius & minus.*
n *Differentia quæ diuerſas ſpecies conſtituunt.*

Prouinciales tum Nationales, duo video ab ipſo Magiſtratibus cõcedi: Synodos cõuocare, & ijs intereſſe aut præeſſe etiam. Bellæ voces, niſi vim illarum explicatio deſtrueret. Nam qui audit jus eſſe Magiſtratui conuocare Synodum, is fortè credet, non hoc tantum tribui, vt ſine ejus permiſſu coïre non liceat, verum etiam ad ipſum pertinere, vt ſi neceſſe eſt, diſpiciant homines Synodo idoneos. Id verò Sibrandus omninò illi non concedit, & tum in hac epiſtola, tum in altera ad Fœderatos Ordines hoc omne ius Claſſiarijs tranſcribit. Atqui repugnat ratio. Ait Whitackerus; *In Epiſcoporum ipſa congregatione non magis ſacrum aliquid eſſe, quam in congregatione aliorum hominum. Vt enim Principis*, inquit, *eſt, edictis ſuis duces conuocare & milites ſuos vt de bello deliberent, & Iuriſperitos ſuos, vt de iure inquirant, ſic ejuſdem etiam eſt Epiſcopos ſuos congregare, vt de Religione conſultent. Epiſcopi quum literas & mandata à Principe hac de re acceperunt; debent hac auctoritate coacti conuenire. Hoc ergo æquè politicum eſt atque alios hominum ordines cogere.* Ait hoc ipſo in loco Sibrandus, Reipublicæ Præſides quia non omnia per ſe intelligere poſſunt, nullo adjutore, ſolere vbi quid de iure ſtatuendum eſt, vti Iuriſperitorum opera, vbi quid de mercatura, mercatorum: medicorum, vbi de medicina,

& quo rem planiorem faciat, ad ignobiliora etiam artificia deſcendit. Vtamur igitur hac quã ipſe inſtituit comparatione longe optima, & quam iam olim ad hoc argumentũ aptauit Marſilius Patauinus. Si quæ de iudicijs ferendæ ſunt leges, non vtiq; Magiſtratus omnibus Iuriſconſultis imperabit, vt quos viſum fuerit ad ſe delegent, quorum conſilio vtatur, ſed ipſe ad ſe vocabit eos quos fama conſentiens commendat: idẽ faciet, ſi contrà ſententiam ſummi Iudicis ſupplicatum fuerit: in bellica deliberatione audiet nõ eos quos ad ſe mittet exercitus, ſed illos quorum perſpectam habebit prudentiam: idem in mercatura, idem in alijs artibus aut ſolet, aut poteſt fieri: cur in Eccleſiaſticis conſultationibus idem fieri non poterit? Marſilius certè, *Intereſſe,* inquit, *poſſunt & debent Concilio, qui ad hoc ſtatuti fuerint per Legiſlatorem fidelem. Legiſlatores verò ad hoc etiam obligantur, eligendo perſonas idoneas ad Concilium integrandum.* Et mox. *Ad ſolius humani Legiſlatoris fidelis ſuperiore carentis auctoritatem pertinet, aut eius vel eorum cui vel quibus per jam dictum legiſlatorem poteſtas hæc commiſſa fuerit, Generale Concilium conuocare, perſonas ad hoc idoneas determinare.* Quicumque diligenter perlegerit veterem Eccleſiæ hiſtoriã, inueniet Principes Chriſtianos hoc iure vſos,

vt ad Synodum venturos aut per ſe aut per alios eligerent: Per alios, inquam, nimirum per Metropolitas à ſe conſtitutos, quia vix poterant ipſi Principes noſſe quis in quaque regione tam latè patentis imperij eſſet maximè ad eam rem idoneus. Scribunt itaque Theodoſius & Valentinianus quum Epheſinam Synodum conuocarent Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo. [o] φροντίσει ἡ σὴ θεοσέβεια μετὰ τὸ ἐπιόν· σὺν θεῷ δὲ εἰρήσθω· ἅγιον πάσχα εἰς τὴν ἐφεσίων τῆς Ἀσίας παραγενέσθαι κατ' αὐτὴν τὴν ἁγίαν πεντεκοστῆς τὴν ἡμέραν· ὀλίγους οὓς ἂν δοκιμάσειεν ἐκ τῆς ὑπ' αὐτὴν τεταγμένης ἐπαρχίας, ἁγιωτάτους ἐπισκόπους εἰς τὴν αὐτὴν συνδραμεῖν παρασκευάσασα· ὥστε καὶ τοὺς ἀρκοῦντας ταῖς κατὰ τὴν αὐτὴν ἐπαρχίαν ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, καὶ τοὺς τῇ συνόδῳ ἐπιτηδείους μηδαμῶς ἐλλείψαι· γεγράφθαι γὰρ τὰ ἴσα παρὰ τῆς ἡμετέρας θειότητος περὶ τῆς προλεχθείσης ἁγιωτάτης συνόδου τοῖς θεοφιλέσιν ἐπισκόποις τῶν ἁπανταχοῦ μητροπόλεων. Vides diſertè electionem committi Cyrillo: nec dubito, quin eadem ratione eligentibus Metropolitis ad Nicænam venerint [p] τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν τὰ ἀκροθίνια. Nam quod Sibrandus ad Eccleſias ipſas vult ſpectaſſe electionem, quia dicuntur Pontus, Pamphylia, aliæque Prouinciæ [q] τοὺς παρ' αὐταῖς παρεσχηκέναι ἐκκρίτους, id verò inualidum eſt. Nam præbere eos Prouincia dicitur qui quoquomodo ex Prouincia veniunt.

o Curabit pietas tua poſt futurum (quod bonum Deo dictũ ſit) ſacrum Paſcha venire in Epheſum Aſiæ ſub ipſam Pentecoſtes diem: efficietque vt vna adſint ſanctiſſimi ſuæ præfecturæ Epiſcopi pauci, quos ipſa delegerit: ita vt nec ſacroſanctis Eccleſiis in præfectura qui ſufficiant, neque rurſus, qui ad Synodum idonei, deſint. Similia ſcripta ſunt à noſtro numine de ante dicta ſanctiſſima Synodo Dei amantibus Epiſcopis earum quæ vbiq. ſunt matricum vrbium.

p Dei miniſtrorum potiſſimi quique.

q Præbuiſſe eorum qui apud ſe erant electiſſimos.

At ipſe

At ipſe Conſtantinus ſcripſerat non Eccleſiis, ſed r τοῖς προεστῶσιν εἰς ῥητὴν ἡμέραν παρεῖναι. In Conſtantinopolitana prima eundē ordinem à Theodoſio ſeniore obſeruatum, quem in Epheſina iunior Theodoſius obſeruauit perquam veriſimile eſt. Atq; hoc amplius ipſe eò Theodoſius præter Catholicos Epiſcopos etiam ex Macedonianis ſ τοὺς ἐκείνης τῆς αἱρέσεως προεστῶτας ἐκάλεσε: nec contrarium probat Epiſtola ad Occidentis Epiſcopos miſſa, in qua venire ſe Romam negant poſſe, quia Epiſcopi qui domi manſerant, in tam diutinam ipſorum abſentiam non conſenſerant: æquum enim erat, eos qui in Prouincijs reſederant, aliorum onere non grauari inuitos: ſed de electione ibi ne verbum quidem. Quanquam nec eſt illa epiſtola Concilij iſtius Vniuerſalis quod Conſtantinopolitanum primum dicitur: id enim iam anno ante diſceſſerat. Ad Chalcedonenſem verò Synodum non Eccleſia Alexandrina Dioſcorum miſit, ſed ipſi Imperatores Theodoſius & Valentinianus venire eum iuſſerunt cum decem qui ſub ipſo erāt Metropolitis, & ex omni Epiſcoporum numero item decem, his ſcilicet, qui vita, doctrina, & ſcientia maximè eminerent. Plures venire ad Synodum prohibentur. Nominatim quoque Theodoretus vetatur adduci, vt Eccleſiæ ſuæ neceſſarius. Sic &

r His qui præſunt, vt conſtituto die adeſſent.

ſ Illius ſectæ præpoſitos vocauit.

Conſtantinus Nicomediam euocare ſtatuerat [t] τῶν ἀν' ἕκαστον ἔθνος ἐπισκόπων οἱ συνιέναι ἐπιτηδειότεροι ἐδόκουν καὶ νοεῖν καὶ λέγειν ἱκανοί. De alijs Synodis Athanaſius. *Ab Imperatore Præfectiſque literæ in omnem orbis partem miſſæ ſunt, eos qui illuc ituri erant, euocantes.* Fruſtrà Sibrandus morem allegat Eccleſiæ [x] τῆς ἐν θλίψει: alia enim tunc fuit ratio: quippe quum omnis multitudo legitimo rectore deſtituta, ita vt poteſt, regere ſe debeat. Sed poſtquam Chriſtiani Principes fuere, vt ait Socrates, [u] τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασι. In hoc iure conuocandi Synodos illud quoque comprehenſum eſt, cauſſas tractandas, modumque tractandi præſcribere. Conſtans & Conſtantius in Sardicenſi Cōcilio etiam quę prioribus Synodis definita erant iterum recognoſci voluerunt. At Martianus Imperator vetuit in Chalcedonenſi Synodo aliter de natiuitate Seruatoris diſputari, quam Nicena fides dictitabat. Theodoſius & Valentinianus Epheſinis Patribus prohibent [x] ἀπολιπεῖν τὸν ὁρισθέντα τῇ διασκέψει τύπον, aut vllum aliud negotium attingere, antequam eam ob quam conuenerant controuerſiam tranſegiſſent. Francos Reges atque Hiſpanos eodem iure perpetuò vſos demonſtrarunt illi qui Tridentinæ Synodi vitia arguerunt. Non ergo Sibrandus in

[t] *Et illos ex Epiſcopis qui in quaque gente præſtantiſſimi eſſent, ingenioque & eloquentia valerent.*

[x] *Eius quæ affligitur.*

[u] *Res Eccleſiæ ab ipſis pependerunt, & maxima Cōcilia ex ipſorum arbitrio habita ſunt.*

[x] *Deſerere formam diſceptationi præſcriptam.*

dus in Synodis conuocandis tantum Ordinibus tribuit, quantum boni Imperatores ſui iuris eſſe exiſtimarunt: etſi fortè non ſemper eo iure vſi ſint, quia aut neceſſe non erat, aut non expediebat. Sic etiam quum Ordines Hollandiæ Prouincialibus, Fœderatos Nationalibus per legatos ſuos præeſſe ac præſidere permittit, videtur quidem ijs qui rem non introſpiciunt multum dicere: ſed hoc ipſum pænè quantumquantum eſt, interpretatione ſua euertit. Totum enim quod præeſſe vocat, ad duo hæc reſtringit, & quidem duobus in locis, ne caſu factum videatur. Nempe, *vt omnia tranquillè & decenter agantur:* deinde, *vt certi ſint, nihil ibi tractari quod ad Eccleſiam non pertineat, aut Politicæ gubernationi ſit aduerſum.* Eſtne hoc Ordinum in rebus Eccleſiaſticis auctoritatem agnoſcere, an verò ſatis claris verbis eam tollere? Quid hoc aliud eſt dicere, quam, dent operam Magiſtratus ne Synodici inter ſe tumultuentur, aut ſeditionem faciant aduerſus Rempublicam? Sed quid ſi controuerſias definiant extra verbum Dei, toleranda tolerare nolint, non toleranda tolerent, quæ accidere poſſe, nemo noſtrorum negat? nullane hic erit Magiſtratus cognitio, nullæ partes? Si iudicium aliquod de rebus Eccleſiaſticis quæ in Synodo agitantur, Magiſtratui " ἀνυπευθύνῳ

" *Supremo nec cuiuſquam imperij obnoxio.*

 per-

permittis Sibrande, cur non clarè id exprimis, præſertim quum ad rem pertineat, atque hoc vel imprimis liberare te potuerit ab ea de qua tantopere conquereris calumnia? Sin verò hoc ad eum non pertinere ex animo ſentis, vide iterum, ne omnis antiquitas, ac tua quoque ſcripta te refutent, quæ oſtendunt ſummos Magiſtratus per ſe vel per legatos iudicaſſe aut in Synodis, aut de Synodis. Sed nimirum hoc eſt quod modo dicebam fieri,

Mutatis clypeos, Danaumque inſignia vobis
Aptatis.

Conſtantinus, inquis, Nicęnam coëgit, ſed de prophetijs iudicandi auctoritatem reliquit Epiſcopis. Anne ita vt ille in nullam veniret partem? Caue dixeris. Ipſe ego, inquit Imperator, [y] τῆς ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνεδεξάμην: ipſe vocem [z] ὁμοούσιον expoſuit, diſſidentes ſententias conciliauit, formulas alias rejecit, alias approbauit, ex ſolis ſacris literis definiendam dixit controuerſiam, [a] κοινωνὸς fuit τῶν ἐπισκοπουμένων, imò [b] οἷά τις κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ θεοῦ καθιστάμενος. Reliquit, inquis, Epiſcopis iudicandi poteſtatem Theodoſius in Conſtātinopolitana: Imò & ipſe ea quæ ibi acta ſunt, [c] ἐπεψηφίζατο, rogatus ſcilicet ab Epiſcopis vt placita Synodi ſua ſubſcriptione muniret. Sed maximè miror etiam Chalcedonenſis auſum te mentio-

y Diſquiſitionẽ veritatis ſuſcepi.
z Conſubſtantialis.
a Particeps fuit eorum quæ expendebantur.
b Velut communis Epiſcopus à Deo cõſtitutus.
c Suo ſuffragio comprobauit.

mentionē facere. Nōne ibi[d] οἱ ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς non minus quā Epiſcopi[e] ἐψηφίσαντο? *Hoc*[f] ψηφίζεσθαι, *quid eſt aliud*, inquit Whitackerus, *quam decernere & definire?* Sed inſpiciantur Acta. Singulis paginis occurrit, *Glorioſiſsimi Iudices & Ampliſsimus Senatus dixerunt*. Nec interlocuti tantùm ſunt ſæpiſſimè, ſed & ipſi vnà Dioſcorum damnarunt, & quum major pars Epiſcoporum contenta eſſet dicere, duas eſſe in Chriſto naturas, nec quicquam vltrà requirerent, Iudices conſulto Imperatore effecerunt, vt ad detegendas hæreticorum inſidias adderetur ad formulam,[g] ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως. In Concilio autem Conſtantinopolitano tertio Imperator & Synodus iubent: vbi Imperator non adeſt, Iudices & Synodus. Poſteà Imperator legiſſe ſe ait & conſenſiſſe. Idem factum eſt in Conſtantinopolitano quarto. Epheſinæ autem Theodoſius & Conſtantinopolitanæ ſecundæ Iuſtinianus per occupationes intereſſe non potuerunt, ſed eos quos vellent Epiſcopos ſuo nomine ac mandato præſidere conuentui iuſſerunt. Facimus autem id quoq; quod per alios facimus, & cui auctoritatem noſtram impartimur. Quoniam verò & Synodi Francofurtenſis à Sibrando fit mentio, interrogare illum libet, An imaginum adorationem prohibe-

d Qui Senatorij erant ordinis.
e Suffragium tulerunt.
f Ferre ſuffragium.
g Inconfuſè, inconvertibiliter, indiuiſibiliter, inſeparabiliter.

re ac tollere Carolus Magnus per ſe quoque non potuerit, etiamſi contrà Epiſcopi iudicaſſent: & an omnes qui idem fecerũt Synodi iudicio prius hoc ipſum ſubijcere debuerint? Sed nec huic Synodo dicis cauſſa aſſediſſe Carolum, ſed vt *arbitrum*. Acta ipſa loquuntur: prolixum habet ſermonem de cauſſa Fidei: Conſenſum ſuum ſcripto teſtatur; poſtremò hæc ipſius verba ſunt: *Decernimus, & Deo donante decreuimus, quid eſſet de hac inquiſitione* (loquitur de cauſſa fidei, nempe an Chriſtus dicendus eſſet Filius Dei adoptiuus) *firmiter tenendum*. In Concilio Arauſicano, vbi de Gratiæ neceſſitate actum eſt, apparent ſubſcriptiones Præfectorum Prætorio, Patritiorum, & Conſularium nouem numero. Sublegerunt quidam nuper Bellarmino hanc reſponſionem, conſentientes eos, non definientes ſubſcripſiſſe. Sed iamdudum eam exploſit Whitackerus, & oſtendit, Epiſcopos interdum vſos conſentiendi, & Imperatores aut eorum legatos definiendi vocabulo: quanquam alioqui conſenſus quoque ſine iudicio eſſe non poteſt. Sed aliud quoque [h] κενοφύγιον ut dicantur iudicaſſe de ijs quæ ad Fidem non pertinebant, ipſe Sibrandus ſibi iam olim præſcidit, quum poſt Whitackerum multis exemplis oſtendit, Laïcos etiam de rebus fidei iudicare ſolitos. Laïci autem illi

[h] Effugium.

illi plerumque fuere Principes aut eorum vicem gerentes, vt exempla commonſtrant. Res adeò clara eſt, vt ipſe Romanus Pontifex Nicolaus, vel præcipuè tractandis fidei cauſſis interfuiſſe dicat Imperatores: idémque adfirmat Cardinalis Cuſanus; imò ait, Imperatores & Iudices ſuos cum Senatu, & primatum habuiſſe, & iudicia feciſſe. Ego verò hoc etiam addo, non in Synodis tantùm, ſed & de Synodis iudicaſſe Imperatores. Et ſanè [i] ἐκ τῶν δοθέντων à noſtris, neceſſariò id colligitur. Errare aiunt Synodos poſſe, & ſolere: de Nationalibus certè & Prouincialibus nemo negat. Errores ergo Synodi publicare & exſequi ſummus Magiſtratus an debet? Debere nemo dixerit. An Synodo credere tenetur, adfirmanti ſe non erraſſe? At omnes hoc Synodi de ſe dicent, vt nuper Tridentina. An ergo errauerit, an non, ipſe ſummus Magiſtratus dijudicare debet. At dicet aliquis, peritus non eſt, ſacras literas non didicit, ex quarum præſcripto iudicandum eſt. Debet eas diſcere, debet peritus eſſe, excitandus eſt à vobis in hoc ſtudio, non refrigerandus. Deinde [k] σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. Quod ſi iſtud argumentum valet, eodem iure alijs quoque de rebus iudicandi poteſtatem Regibus ademeris: ſunt enim quidam

i Ex his quæ conceduntur.

k Dat ſapere regibus turba ſapientum comes.

[l] Rerum ciuilium imperitiſſimi.

interdum [l] ἀπολιτικώτατοι: ne Paſtoribus quidem iudicium relinquendum erit, iſta ratio ſi valet, quando horum quoque ineptos eſſe multos qui neget, is verò ſit omnium ineptiſſimus. Præterea vos etiam minimo de plebe Quiriti de Synodi placitis iudicium aliquod conceditis; neque enim id credere tenetur quiſquam, vt dicitis, quod Synodus præcipit, ſed de cujus veritate ipſe perſuaſus eſt. Hoc ipſum ſaltem Regi concedite. Id vbi conceſſum ſit, cogitate, An aliam Rex fidem propugnare, fouere, ornare debeat, quam eam cujus ipſe [m] πληροφορίαν habeat: an verò vt Auguſtinus ſcripſit, *diuinitus præcipiatur Regibus, bona iubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad diuinam religionem.* Videtiſne igitur, vt [n] ἀσύστατα doceatis, quum ſupremum de religione publica iudicium ſummo magiſtratui eripitis? publica inquam: nam de ſua religione iudex eſt vnuſquiſque; de Eccleſiæ fide ipſa Eccleſia ſtatuit: At de fide Eccleſiæ quà publica eſt, nemo jus ſtatuendi habet, præter eum cujus omnia publica ſunt in manu ac poteſtate. Quo rectè intellecto, concidit illa vaniſſima objectio. Lutheranis nihil præſcribitis: nihil Mennonitis: cur ergo Reformatis? Ita qui loqui volunt, tẽpla deſerere debent; ſunt enim publica: ſtipendia ex ærario

[m] Firmam in animo perſuaſionem.

[n] Malè cohærentia.

petere

petere non debent; ærarium enim eſt publicum: aut ſi iſtis publicis frui volunt, ferant & ſibi publicitus legem dici. Poſt rationes ponemus exẽpla, quibus apertum fiat, & pios Reges ſibi vindicaſſe publicum hoc cum auctoritate iudicium, & Synodos vltrò detuliſſe: quanquam ſuperuacuum id videri poteſt, quum probauerit hoc nuper in Apologia Rex ipſe Britanniarum, & cum ipſo digniſſimus tanto Rege [o] ὑπερασπιστὴς Epiſcopus nunc Elienſis, vir ſolida pietate an rara eruditione laudabilior, incertum. In Nicęna ergo Conſtantinus [p] τὰ τῆς συνόδου δόγματα κυρῶν ἐπεσφραγίζετο. Scribit ad Theodoſium Conſtantinopolitana prima: [q] ἀναγκαίως τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν. Δεόμεθα οὖν τῆς σῆς ἡμερότητος, γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον. Epheſina verò ad Theodoſium & Valentinianum. [r] καταφεύγομεν ἅπαντες ἐπὶ τὸ κράτος τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας· δεόμενοι τὰ μὲν κατὰ Νεστορίου πεπραγμένα καὶ τῶν τὰ Νεστορίου φρονούντων ἔχειν τὴν ἰσχὺν, τὰ δὲ παρὰ τῶν ἐκδικούντων μένειν ἄπρακτα καὶ ἀργά. Et ex Actis apparet, voluiſſe Imperatores legationem ad ſe mitti à Synodo, quæ ipſis actorum cauſſas exponeret. Chalcedonenſis verò Synodus ita loquitur. *Videtur nobis iuſtum, ſi placuerit diuiniſſimo & piiſſimo Domino noſtro:* aut vt apud Eua-

o Propugnator.

p Synodi placitis ſuo ſuffragio auctoritatem addidit.

q Neceſſariò acta ſacræ Synodi ad tuam pietatem referimus. Oramus igitur clementiam tuam, vt literis tuæ pietatis firmetur Synodi ſuffragium.

r Omnes ad poteſtatẽ tuæ pietatis cõfugimus: orantes, vt ea quæ contra Neſtoriũ & cum Neſtorio ſentientes acta ſunt, vim ſuam habeant: quæ verò acta ſunt ab eius defenſoribus, ea caſſa ſint atque irrita.

grium eſt φαίνεται ἡμῖν δίκαιον εἶναι, εἰ παραςαίη τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεςάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ. Martianus Imperator de eadem Synodo: *Sacro noſtræ Serenitatis edicto venerabilem Synodum confirmantes*: Et in lege quæ exſtat in Codice Iuſtinianeo idem Martianus ea quæ ſtatuit Synodus Chalcedonenſis per ſua præcepta ſtatuta eſſe teſtatur. Habemus ergo quatuor Oecumenicas vetuſtiſſimas. [s] τοῖς ἐν Τύρῳ συνελθοῦσι, ſcribit Conſtantinus. [t] τοιγαροῦν ἠπειγμένως πάντας ὑμᾶς πρὸς τὴν ἐμὴν εὐσέβειαν ἀνελθεῖν δεῖ· ἵνα τὴν τῶν πεπραγμένων ὑμῖν ἀκρίβειαν δι᾽ ὑμῶν αὐτῶν παραςήσητε. Et mox. [u] ἵνα πάντες ὅσοι τὴν σύνοδον τὴν ἐν Τύρῳ γενομένην ἀνεπληρώσατε, ἀνυπερθέτως εἰς τὸ ςρατόπεδον τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ἐπειχθῆτε, τοῖς ἔργοις αὐτοῖς ἐπιδείξοντες τὸ τῆς ὑμετέρας κρίσεως καθαρόν τε καὶ ἀδιάςροφον, ἐπ᾽ ἐμοῦ δηλαδὴ, ὃν τοῦ θεοῦ γνήσιον εἶναι θεράποντα οὐδ᾽ ἂν ὑμεῖς ἀρνηθείητε: & ait ſe daturum operam, vt ea ſeruentur, [w] ἀδιάπτωτα quæ legi Dei congruerent. Conſtantius iuſſit, vt ij qui Nicæam conuenturi eſſent (ſunt autem ijdem qui poſteà ob terræmotum Nicææ, Seleuciæ, & Arimini coierunt) viginti ex ſuo numero Epiſcopos ad ſe mitterent, & quæ decreta eſſent, ipſi exponerent: [x] ὥςε καὶ αὐτὸν συνιδεῖν, εἰ κατὰ τὰς ἱερὰς γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις, καὶ περὶ τῶν πρακτέων ὅσα ἂν ἄριςα δοκῇ ἐπιτελέσαι. Leo Pontifex orat Imperatores, vt irrita

faciant

[s] His qui Tyri conuenerant.

[t] Quapropter feſtinanter omnes vos ad meam pietatem venire oportet: vt ea quæ apud vos geſta ſunt vosmetipſi exactè mihi repræſentetis.

[u] Vt omnes qui Synodum in Tyro impleſtis, ſine vlla mora ad noſtræ pietatis caſtra accedatis, ac reipſa demonſtretis iudicij veſtri puritatem ac ſinceritatem, apud me ſcilicet quem verũ eſſe Dei miniſtrum, ne vos quidem negabitis.

[w] Incorrupta.

[x] Vt & ipſe videret an ſecundum ſacras literas inter ſe conueniſſent, & ex ijs quæ agenda reſtarent, implerentur ea quæ optima viderentur.

faciant Acta Epheſinæ Synodi ſecundæ: aut certè nouam cognitionem inſtituant. Auguſtinus quoque ait, *Ad iudicium Imperatoris poſt Epiſcopalia iudicia partes fuiſſe productas.* Nam Conſtantinus poſt Arelatenſem Synodum de cauſſa Donati cognouit & ſententiam tulit. Veniamus ad Francica tempora. En verba Aurelianenſis Concilij ad Clodouæum. *Omnes Sacerdotes quos ad Concilium venire iuſsiſtis, quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, vt ſacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſarijs tractaturos in vnum colligi iuſſeritis, ſecundum veſtræ voluntatis conſultationem & titulos quos dediſtis, ea quæ nobis viſa ſunt definitione reſpondimus, ita vt ſi ea quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe iudicio comprobantur, tanti conſenſu Regis ac Domini Majoris auctoritatem ſervandam tantorum firmat ſententia Sacerdotum.* En Arelatenſis quartæ ad Carolum Magnum. *Hæc igitur Domino Imperatori præſentanda decreuimus, poſcentes ejus clementiam, vt ſiquid hic minus eſt, eius prudentia ſuppleatur: ſiquid verò ſecus quam ratio poſtulat, eius iudicio emendetur: ſiquid rationabiliter taxatum eſt, diuina opitulante clementia perficiatur.* Poteſtne clarius? agi autem ibi pręcipuè de rebus Eccleſiaſticis contra Bellarminum oſtendit Reuerendiſſimus, quem an-

te nominauimus antiſtes Elienſis. Nec aliter Cabilionenſis ſecunda. *Capitula quæ ſubter inſerta ſunt, Domino Imperatori præſentanda, & ad eius ſacratiſſimum iudicium referenda adnotauimus, quatenus eius prudenti examine ea quæ rationabiliter decreuimus, confirmentur: ſicubi minus aliquid egimus, illius ſapientia ſuppleatur.* Et Moguntina prima. *De his tamen omnibus valdè indigemus veſtro* (ad Imperatorem ſermo eſt, quem Synodus ibidem *rectorem religionis* vocat) *adjutorio atque ſana doctrina, quæ & nos iugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea quæ paucis perſtrinximus capitulis, à veſtra auctoritate firmentur: ſi tamen veſtra pietas dignum eſſe iudicauerit, & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra magnifica Imperialis dignitas iubeat emendari, vt ita emendata, nobis omnibus & Sancta Chriſtianæ plebi & poſteris noſtris proficiant ad vitam & ſalutem.* Turonenſis verò Synodus tertia. *Hæc nos in conuentu noſtro ventilauimus: ſed quomodo deinceps piiſſimo Principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati ſumus.* De Francofurtenſi iam ante diximus. Concilium Moguntinum ſecundum & tertium à Ludouico pio, Aquiſgranenſe à Pipino eius filio confirmationem petiere & accepere. Ne Gothis quidem id ignoratum.

Nam ſub Theodorico Gothorum rege, ipſa de ſe Synodus. *Decernere Synodus ſine Regia notitia non præſumit.* Ad Britanniam prouocas? Adduxi iam ante locupletiſſimos teſtes, Regem ipſum & Epiſcopum. Non poteſt ille neſcire quid ſibi debeatur: neque hic quid Epiſcopi Regibus debeant. Richardus Coſinius Ioannis [y] τοῦ ἐν ὁσίοις Archiepiſcopi nuper Cantuarienſis Cancellarius in tabulas digeſſit Eccleſiæ Anglicanæ Politiam. In illis præter multa alia quæ ad Regiam poteſtatem pertinent, eſt hoc quoque. *Nec tractari nec determinari aliquid poteſt in Synodo, niſi conſentiente prius & aſſentiente Principe: nihil habet vim legis priuſquam Regius aſſenſus fuerit adhibitus his quæ Synodus decernenda cenſuerit.* Beza ipſe, ſi verum dicendum eſt, iniquior interdum Magiſtratibus, illo in libro in quo Eraſti de Excommunicatione ſententiam oppugnat, fateri cogitur, *Quum etiam à rectè conſtituto Conſiſtorio poſſit reis delatis fieri injuria, in anguſtioribus territorijs Chriſtianum Magiſtratum ut tabulæ vtriuſq. cuſtodem & vindicem proſpicere poſſe conquerentibus.* Nulla poteſt adferri ratio, cur non tantundem Magiſtratui in Synodum liceat, quantum in Conſiſtorium licet illis in locis vbi Synodi non ſunt. Tam enim Synodus quam Conſiſtorium cœtus ſunt Eccleſiaſtici. Noſtra ſanè vici-

[y] *Qui nunc inter beatos eſt.*

na Zelandia hac de re non dubitauit, condito non ita pridem decreto, ne quæ eſſent in Synodis acta pro ratis haberentur, antequam Ordinũ acceſſiſſet auctoritas. Sed optimè quid de tota hac re ſentiendum ſit; & expreſſis & ſolidis rationibus probauit [z] ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας certiſſimus index Thomas Bilſonus Epiſcopus Wintonienſis in Britannia. *Synodi non diuerſam à Principe vel illo majorem iuriſdictionem habent, ſed* IN OMNIBVS *ei ſubjecta ſunt, & iure diuino atq; humano ſic ordinata, vt ad veritatis & pietatis amplificationem Principi præbeant* CONSILIVM, *vbi & quando eos congregari iuſſerit. Alioqui nullam* EX SE *in regno vbi Chriſtianus rerum potitur decreti ferendi poteſtatem habent, nec jus* AVDIENDI *componendiq́ controuerſias in Eccleſia nolente aut non permittente Principe ſibi vindicare poſſunt.* Quod ille ſuos aduerſarios Puritanos monet, *ne Synodorum formam erigant ad minuendam auctoritatem Principis comparatam*, idem te Sibrande moneo, ſimulq; vt ad eas quas ipſe adfers cõparationes propius attendas. Ais, ab ijs qui Reip. præſunt, ſolere in iuris negotio Iuriſcõſultos, in mercatorio mercatores, in nautico nautas conſuli: & rectè dicis: ſed & ſolent interdum ſummi Magiſtratus ab illorũ conſiliis re bene perſpecta recedere: ſolẽt ponderare magis quam numerare ſentẽtias, & meliorẽ non majo-

z *Antiquitatis Eccleſiaſticæ.*

majorem partem ſequi. Ipſa quinetiam perpetua Collegia, quæ rei bellicæ, rei maritimæ, iuri dicundo præſunt, habent quidem ius decernendi à ſummo Magiſtratu; ſed poteſt ſemper ſummus Magiſtratus cauſſa cognita illorum decreta reſcindere. Nõ faciet quidem id ſemper, nec temerè, nõ pro libitu: ſed ex legum & prudentiæ preſcripto, interdum etiam interueniẽte hominum peritiſſimorum miniſterio. Verùm aliud eſt de iure diſputare, aliud de ratione ac modo iuris exercendi. Ius ipſum ſi tu aut non negaſſes, Sibrande, aut certè non callidè diſſimulaſſes, poteras tũ demum tuã cauſam ab amicis illis tuis quos Bilſonus oppugnat, ſegregare. Sed quod conuocare Magiſtratui Synodũ permittis, dummodo mittendos ipſe non diſcernat; præſidere quoque ipſi concedis, ſed dum iudicium relinquat Prophetis quos vocas; & hæc vbi prolixè ſatis diſſeruiſti, tamen dicere audes, *ita penes Imperatorem fore ſupremam poteſtatem, penes Eccleſiam autẽ*, [a] τὴν ὑποτεταγμένην: alios quære quibus id perſuadeas. [a] Subordinationem

Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni.

Nam [a] ὑπάλληλοι quę ſunt poteſtates, eas tales eſſe oportet in initio, progreſſu & fine. Tu circa initium Synodi aliquam Magiſtratus [b] ὑπεροχὴν agnoſcis: in progreſſu fortè æqualitatem quandam: at in fine revera ſubdis Magiſtratũ ijs quos

a Altera ſub altera poſita.

b Supereminentiam.

Eccleſiam vocas: nam verè ſubditus eſt, cui ſine cognoſcẽdi poteſtate exſequendi partes mandãtur. Qui dicunt Eccleſiam errare non poſſe, nihil eſſe Laïcis in rebus Eccleſiaſticis negotij, loquũtur minus [c] ἀσύστατα. Quanquam hi ipſi rectè viderunt, ne ibi quidem poſſe conſiſti. Nam poteſt aut res aliqua Eccleſiaſtica magni eſſe ad Remp. momenti, aut publicum aliquod negotium ad Eccleſiam magnopere ſpectare. Poteſt etiam accidere, vt controuerſum ſit, an cauſſa aliqua ſit tantùm ciuilis, aut tantùm Eccleſiaſtica. Poſſunt & tantæ eſſe contentiones, vt neceſſe tandem ſit aut Paſtorem Eccleſiaſticum à Magiſtratu, aut Magiſtratum à Paſtore exauctorari. Hic ergo quum viderent alteram poteſtatem alteri neceſſariò cedere debere, perfricuerunt frontem, & ſecum dixerunt, *partiri non potes orbem, Solus habere potes.* Hoc nimirum eſt, [d] τῆς αὐτοκρατείας ingenium, ſuſtinere ſe niſi tota ac ſolida non poteſt: parte ejus amiſſa, nec reliqua retinebis.

Per numeros veniunt iſta, gradusq́ue ſuos.

Sunt hodie qui vitandæ inuidiæ negant à ſe conſtitui [e] ἀντιδιῃρημένας poteſtates, Politicam & Eccleſiaſticam. Sed ijdem cum vocati à ſummo Magiſtratu, vt actionum ſuarum rationem redderent, ad fori præſcriptionem confugerunt, cum ne in minimis quidem rebus reueriti ſunt.

eorum

[c] Male cohærentia.

[d] Supremæ poteſtatis.

[e] Inter ſe ex æquo oppoſitas.

eorum auctoritatem qui publico nomine ad Synodos venerant, cum plebi etiam auſi ſunt adaduerſus Rectores animos facere, ſatis verba factis refutarunt. Si quod volunt obtinuerint, orãda mox ab ipſis modeſtia erit, vt velint ſuo dimidio eſſe contenti. Erat ſanè amplius exagitandus hic error, non tam Reipublicæ quam Eccleſiæ ipſi pernicioſus, cuius ſemper florentiſſimus fuit ſtatus, quoties Paſtores maluerunt eximias poteſtates conceſſis obſequiis demereri, quam contumacia irritare. Sed aperuit hunc morbum, & ſanare aggreſſus eſt Ioannes Vtenbogardus inſigne lumen Eccleſiæ noſtræ, ſecutus magnorum virorum Marſilij Patauini & Wolfgangi Muſculi veſtigia. Nolumus igitur [e] τὸ πραχθὲν πράσσειν. Nobis ſatis erit oſtendiſſe, non per calumniam, neque iniuria obijci Sibrando quod minus in conuocatione Synodorum Ordinibus tribuat, quam tribui ſibi boni Principes voluerunt. Idem in altero capite quod eſt de munerum Eccleſiaſticorum functione æquè facile demonſtratu eſt. Vt ergo ante omnia Sibrandi hac de re ſententiam intelligamus, *Paſtores vocare, jus populi* appellat. Sed quemadmodum apud Romanenſes quoſdam primùm liberaliter prædicantur Eccleſiæ iura atque auctoritas, poſteà vbi ad rem ventum eſt, tota illa Eccleſia fit vnus Ponti-

[e] *Actum agere.*

ſex; ita Sibrandianus iſte populus tandem ad ipſos Paſtores & Preſbyteros redit. Preſbyteri autem iſti (ne quis antiquitatis magis quam moris noſtri gnarus ea in voce hallucinetur) non ſunt qui verbum Dei prædicant, aut Sacramenta exhibent, ſed pauci numero delecti ex populo, Paſtorum[f] *συνέδροι*, qui vnà cum Paſtoribus Eccleſiam regunt; &, ſi neceſſe eſt, refractarios (nam id quoque iuris ſibi ſumunt) excommunicant. Hi Paſtores & Preſbyteri Sibrando iudice id ius habent, quod maximis apud nos Senatibus negatur, vt Collegas ſibi cooptent. Lecti tamen ab ipſis, populo[g] *ὁσίας ἕνεκα* proponuntur: nimirum, vt ſi quis ſit inimicus otij ſui, is ad eos qui propoſiti ſunt, accuſandos ſe accingat: ſi nemini id libeat, tum vt legitimè vocati offeruntur Magiſtratui, & addit Sibrandus *ciuili*, vt intelligas, duplicem ab ipſo Magiſtratum ſtatui, alium ciuilem, alium verò Eccleſiaſticum: qua lege, quo exemplo, ipſe viderit. Quorſum autem Magiſtratui offeruntur? an vt ipſe, ſi Paſtores alios meliores nouerit, eos ſubſtituat? nihil minus: ſed *vt electos approbet*, cum humana admodum exceptione, *niſi iuſta aliqua cauſſa aliud ſuaſerit*. Sitne autem cauſſa quæ adfertur iuſta nec ne, ea de re cuius futurum ſit iudicium relinquit in medio. Et ſunt qui hunc eligendi modum non tantùm,

[f] *Adſeſſores*

[g] *Dicis cauſa.*

vt opti-

vt optimum laudant, ſed iuris eſſe dicunt planè diuini atque immutabilis. Contrà verò pij atque eruditi complures iampridem exiſtimant, quum munera publica cuiuſcumque generis conferre ſit [f] τοῦ αὐτοκράτορος, ejuſdem eſſe etiam vbicumque Eccleſia eſt publica, certæ vrbis aut loci curam atque functionem Eccleſiaſticam idoneis hominibus mandare, non tantùm quia ad illius ſollicitudinem pertinet, dare operam vt ſubditi queant [ff] βίον διάγειν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ, quod obtineri vix poteſt, niſi boni ſint Paſtores, verùm etiã quia ad Reip. ſtatum magni ſit momenti, quibus hominibus aures affectuſque vulgi committas. Neque tamen negant qui ita ſentiunt, ipſum ius aut verbum diuinum prædicandi, aut Baptiſmũ & Euchariſtiam exhibendi, & ſi qua ſunt ſimilia, à Deo non ab hominibus conferri, neque tollunt examen, & [g] ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν: adduntque præterea, debere ſummum Magiſtratum maxima religione, nec niſi optimè perſpecta doctrina & moribus ad Paſtorum electiones accedere: æquum etiam eſſe, ne quis Paſtor plebi obtrudatur omninò inuitæ: ſed per hæc omnia ſummæ poteſtati ius electionis non adimi. Hanc ſententiam Marſilio quoque defenſam præter Veteris Teſtamenti hiſtoriam mos Chriſtianorum Principum vetuſtiſſimus confirmat. Theodoſius iu-

f Eius qui ſupremũ habet poteſtatem.

ff Vitam degere in omni pietate.

g Manuum impoſitionem.

nior in Conſtantinopolitana Synodo prima, quum eiuſdem urbis Epiſcopatus vacaret, [k] προσέταξε τοῖς ἱερεῦσιν ἐγγράψαι χάρτῃ τὰς προσηγορίας ὧν ἕκαστοι δοκιμάζουσιν εἰς χειροτονίαν ἀξίων· ἑαυτῷ δὲ ἐφύλαξε τοῦ ἑνὸς τὴν αἵρεσιν. Ab vno aliquo Epiſcoporum nominatur Nectarius inter cæteros, & quidem vltimo loco, vir Senatorij Ordinis. Imperator cunctis nominibus perlectis hunc eligit, omnibus Epiſcopis admirantibus, & mox, quanquam Epiſcopi ferè omnes refragabantur, in ſententia perſtitit, maximo Eccleſiæ bono. Poſt mortem Auxentij Mediolanenſis Valentinianus Imperator vocatis ad ſe Epiſcopis poteſtatem fecit eligendi. Epiſcopi viciſſim Imperatorem rogarunt, vt ipſe potiùs eligeret. Mox populo Ambroſium ſibi dari poſtulante, Imperator [i] προσέταξεν αὐτὸν χειροτονῆσαι. Poſt mortem Siſinij Epiſcopi Conſtātinopoleos viſum eſt Valentiniano & Theodoſio iuniori [k] μηδένα διὰ τοὺς καινοσπουδαστὰς ἐκ τῆς ἐκκλησίας, εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζεσθαι· καί τοι πολλῶν μὲν τὸν φίλιππον, πολλῶν δὲ τὸν πρόκλον χειροτονηθῆναι σπουδαζόντων· ἐπήλυδα δ᾽ ἐκ τῆς ἀντιοχείας καλεῖν ἐβούλοντο. Theodoſius idem iunior Maximiano Epiſcopo vita functo [l] σοφῶς τοῦ πράγματος προενόησεν: antequam enim ſepeliretur Maximianus [m] τοῖς παροῦσιν ἐπισκόποις ἐνθρονίσαι τὸν πρόκλον ἐπέτρεψεν. De Francis Regibus ante

h Precepit Sacerdotibus in charta ſcribere nomina eorum quos dignos crederent, qui ordinarentur: ſibi autem vnius electionem ſeruauit.

i Iuſſit ipſum ordinari.

k Neminem ex Eccleſia ad Pontificium promouere propter eos qui rebus nouis ſtudebant: cum pars Philippū, pars Proclum eligi cuperent: placuit igitur ipſis aduenam ab Antiochia aduocari.

l Sapienter rem curauit.

m Iuſſit eis qui aderant Epiſcopis, vt Proclum in cathedra collocarent.

Carolum

Carolum magnum res eſt apertiſſima, ab ipſorum nutu Epiſcopatus pependiſſe. Pleni ſunt libri Gregorij Turonenſis. Ita in Turonum Eccleſia Ommarus, Theodorus, Proculus, Dinifius, electione & iuſſu Regum ordinantur. In Aruernis Quintinianus: in Pictonibus Paſcentius. Et paſſim alij in alijs regni Eccleſiis, vt in ordinatione Iouini, Domnoli, Nonnichij, Sulpitij, Promoti, Nicetij, Deſiderij, Gundegiſili, Viri, Charimeni, Fronimij apparet. Narrat & Aimonus, Sulpitium à Guntramo Rege præpoſitum Eccleſiæ Bituricenſi, & ſolitum Regem Epiſcopatus digniſſimis conferre. Et hæc eſt cauſſa cur ad Brunechildim Reginam de inſtituendorum Pōtificum cura Gregorius ſcripſerit. Sed præcipuè notabilis eſt quæ apud Gregorium Turonenſem narratur hiſtoria. Catonem clerus & populi pars maior Auernorum Epiſcopum elegerant: & iam ſe ille pro Epiſcopo gerebat: at Rex Theobaldus Cantinum Archidiaconum Epiſcopum facit. Catonem deinde Clotharius Rex eligit ad Turonenſem epiſcopatum: venit ad eum Clerus poſtulans vt delatum honorem acciperet, *non enim noſtra te*, inquiunt, *voluntate expetiuimus, ſed Regis præceptione*. Venit ad Regem Clerus, *Præceperam*, inquit Rex, *vt Cato presbyter illic ordinaretur, & cur eſt ſpreta noſtra iuſsio? reſponderunt ei; Petiuimus*

uimus eum, ſed noluit venire. Oranti autem Catoni vt in Auernorum Epiſcopatum introduceretur, Rex & hunc ei negauit, & Turonenſem iam ipſi deſtinatum ademit. Teſtimonium vetus ei rei perhibet Lupus Abbas Ferrarienſis. *Non eſt*, inquit, *nouitium aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis Rex procurat Antiſtites.* Sæpè quidem Reges ius eligendi Epiſcopi aliis conceſſerunt aut lege aut priuilegio aut delegatione: ſed manebat res ipſorum beneficij, & poterant ipſi electiones reſcindere. Hinc longa ſæpè deliberatio. Gregorius Mauritio Imperatori ſcribit: *Non parua potuit eſſe mercedis, quod Iohanne ſanctæ memoriæ de hac luce ſubtracto ad ordinandum Sacerdotem pietas veſtra diu hæſitauit, & cum metu Domini conſilium quæſivit. Vnde aptum valdè exiſtere in Paſtorali regimine fratrem atque conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo, quem ad eundem ordinem pietatis veſtræ conſilia longa genuerunt.* Et veriſſimè non noſtri tantùm, ſed & Veneti nuper oſtenderunt, in eligendis etiam Romanis Pontificibus præcipuam ſemper fuiſſe Imperatorum ac Regum auctoritatem. Liberius à Conſtantio Epiſcopatum accepit; ab eodem demotus eſt. Regis Odoacri tempore Baſilius Patricius lege vetuit ne Papa eligeretur, niſi monito & conſentiente Principe. Rex Theodericus.

ricus Symmachum depoſuit & repoſuit. A Iuſtino Imperatore Hormiſdas, à Theodoro Rege Agapetus, & Siluerius, ab Iuſtiniano Vigilius electi ſunt. Gregorius tunc Archidiaconus ad Imperatorem miſſus eſt, vt Pelagij electionem ſine approbatione Imperatoris factam excuſaret, ideò quod obſeſſa à Longobardis vrbe adiri Imperator nõ potuiſſet. Idem Gregorius Pontifex poſtea à Mauritio factus ſcribit Imperatori. *Ecce Sereniſsimus Dominus Imperator fieri ſimiam leonem iuſsit, vnde neceſſe eſt omnes culpas ac negligentias meas, non mihi, ſed ſuæ pietati deputet, qui virtutis myſterium infirmo commiſit.* Seuerini & Theodori electiones Exarchi confirmarunt, ſecundum antiquam conſuetudinem. Agnouit Agatho non debere Pontificem ordinari, niſi Imperatoris iuſſio præceſſiſſet: vſiq; ſunt eo more Græci Imperatores etiam poſt Conſtãtinum quartum, qui imprudẽter eo iure ceſſerat. Poſteà, quum ad Carolum Magnum perueniſſet Occidẽtis Imperium, Adrianus Pontifex cum tota Synodo ipſi detulit ius & poteſtatẽ eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicã ſedem. Gregorius IV. Epiſcopatum accipere noluit, niſi prius à Ludouico Pio confirmata eſſet electio. Formoſum Arnulphus conſtituit. Othoni mox primo ac ſucceſſoribus eius idem à Leone Pontifice confirmatũ eſt, eoq; iure

Otho ſecundus Ioannem XIIII. Pontificē creauit. Otho III. Gregorium V. non exſpectatis populi ſuffragiis. Henricus poſteà III. tres Pōtifices demouit, Clementem II. & Damaſum II. & Leonem IX. populumque Romanum ſacramento adegit, ne iniuſſu ſuo ad electionem Pontificis accederet. Poſt hæc tempora validiores iam facti Pontifices cœperunt contemnere Imperatorum poteſtatem: ideoque reprehenſus eſt à bonis Papa Alexander quod inconſulto Henrico irrupiſſet in eam ſedem *quam multos iam per annos nemo niſi à Rege probatus auſus eſſet attingere.* Vix Imperatores hocius eligendi Pontifices, aut approbandi electos amiſerant, quum ipſi Pontifices Imperatores & facere & rurſus imperio deijcere cœperunt. Ad alios autem Archiepiſcopatus & Epiſcopatus quod attinet, ſicuti iam ante Caroli Magni tempora Franci Reges eorum electionem ſibi vindicauerant, ita ipſi Carolo Magno ius idem non tam conceſſum eſt à Pontificibus & Synodis, quam adiudicatum. Aquiſgranenſe Concilium Regem Ludouicum ita alloquitur. *Item monendo magnitudini veſtræ ſuppliciter ſuggerimus, vt deinceps in bonis Paſtoribus Rectoribuſq; in Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam curam adhibeatis.* Hoc iure Ludouicus Anſgarum Hamburgenſi

genſi, Gundulfum Metenſi, Carolum Moguntiacenſi Eccleſiæ præfecit. Extant in Decretis literę Pontificis Leonis quarti quibus Lotharium & Ludouicum precatur, vt Diacono cuidam, aut Reatinam aut Tuſculanam Eccleſiam concedant. Carolus Caluus Wenilonem ſacellanum ſuum Senonenſem Archiepiſcopum fecit. Carolus Simplex Tungrenſem Epiſcopatum Hilduino; dein Richario, Rodolphus Viridunenſem Hugoni, Remenſem Heriberto: Rex Hugo eandem Remenſem Arnulfo, & deinde Gerberto; & poſteà Ludouicus Craſſus Geruaſio tradiderunt. Multa ſimilia exempla hiſtoriæ ſuppeditant Epiſcopatuum quos Franci Reges per ſe mandauere. Quidam ſanè Reges præ nimia religione veriti ne pares huic diſpectioni non eſſent, Collegiis aliquibus commiſerunt electiones, ſed ita, vt penes ipſos eſſet aut confirmandi aut recuſandi ius. Poſteà verò adulta etiam per Gallias, minus tamen quam aliis in partibus Romanorum Pontificum auctoritate, Reges ad hæc fœdera venerunt, vt ipſi quem velint Epiſcopum nominent, Pontifex eum qui nominatus eſt confirmet: quo iure nunc etiam vtuntur. At in Germania, poſtquam illa à Francorum regno diſceſſit, valido circa initia regno, Othoni primo eiuſque ſucceſſoribus ius eligen-

di Archiepiſcopos & Epiſcopos manſit & Synodi Romanæ decreto firmatum eſt. Sed quia hoc imperium non natalibus vt Francicum, ſed electione tranſibat, ideò plus in eo Pontifices licere ſibi exiſtimarunt. Hinc pugnæ & bella, ac ſenſim detritum eſt ius Cęſarum, vt rem primò, mox & rei imaginem amitterent. Donec Paſchalis II. Pontifex etiam confeſſionem erepti iuris extorſit. Memorabilis eſt iſtorum temporum hiſtoria, ex qua apparet, tum quanti hoc ius fecerint prudentiſſimi Imperatores, tum quibus gradibus inde ſint deuoluti. *Nemo repente fuit turpiſſimus.* In Hiſpania Concilium Toletanum XII. decreuit, *vt licitum maneat Toletano Pontifici, quoſcumque regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Epiſcopi iudicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet Prouinciis & in pracedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores.* Neque ab eo more Hiſpania nunc degenerat; niſi quod Pontifices ibi quoque vt in Gallia, cum electionem non poſſent, electionis vmbram Confirmationem quam vocant ad ſe traxerunt. Sed mauis ex Britannia aliquid audire. Regi igitur a θεοφιλεστάτῳ crede: iam olim Wilhelmum, Giffordum, & Radulphum Regis beneficio Epiſcopatum adeptos. Malmeſberienſem & Weſtmonaſterienſem qui legit, innumera exempla inueniet,

a *Dei amantiſſimo.*

niet, quæ non vacat tranſcribete. Et ne quis de nugis agi putet, dixit Henricus I. Angliæ Rex (verba ipſius ex Matthæo apponam) *nolle ſe pro Regni amiſſione inueſtituras Eccleſiarum amittere.* Imò extat decretum πανηγύρεως Anglicanæ iam ab Eduardi primi temporibus, *quod collationes & præſentationes ſpiritualium præfecturarum* (his enim verbis vtitur) *Regi adſcribit.* Poſteriores ſanè ſimplicitate quadam inducti, Epiſcoporum electiones Clero permiſere: duabus tamen ſub legibus, vt & licentia eligendi ab ipſis peteretur, & facta electione actum eſſet nihil, niſi Regalis acceſſiſſet conſenſus. Hoc ipſum tamen nimium eſſe poſteris viſum eſt, & regnante Eduardo tertio ad Reges ius priſtinum rediit, multoque etiam magis excuſſa Pontificis dominatione. Idque ius liberrimæ electionis nec adſtrictæ alienis ſuffragiis ſanctiſſimè nunc exercet Rex Iacobus. Quid ad hanc exemplorum congeriem (neque verò pauciora omiſimus) reſpondebis Sibrande? Si tot pios reges damnare ſacrilegij auderes, parata eſſet reſponſio: facta quidem hæc, ſed contra ius faſque diuinum. Nam ſunt qui id audent dicere, hoc freti argumento quod Apoſtolicis temporibus à ſummis poteſtatibus non ſint electi Paſtores. Scilicet Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, magiſtros illis dediſſent eius doctri-

 næ quam

næ quam ferro & flamma perſequebantur? Neceſſitas legem dat, non accipit. Exercitus longinquo in ſolo, claſſis in mari, duce mortuo ſibi ducem legit, quia Principem conſulere non poteſt. Idem ſi domi faceret, capitale cenſeretur. Notandum tamen, ne illis quidem temporibus vnam atque perpetuam fuiſſe electionis rationem. Christus ipſe in terris cæteros legit Apoſtolos, Paulum ex cælo vocauit, Matthias ſorte delectus eſt. Lyſtræ & Iconij Paulus & Barnabas presbyteros ἐχειροτόνησαν, hoc eſt, crearunt ac conſtituerunt, vt optimè ex vſu veterum omnium interpretatur Bilſonus. Timotheo, iubente Spiritu Sancto, Paulus paſcendi munus impoſuit; [o] διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτοῦ: & hãc ipſam vocari [p] ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, vt πρεσβυτέριον officij ſit nomen non cœtus, admodum probabiliter ſentit magnus ille Caluinus: agitur enim vtroque loco de vno eodemq; actu impoſitionis manuum. [q] Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Et, [r] Ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. Titus in Creta κατέστησε κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους. Iohannes Apoſtolus, vt Clemens ſcriptum reliquit in libro [s] τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, ab exſilio Patmi reuerſus [t] ἐπισκόπους per

[o] Manuum ſuarum impoſitione.
[p] Impoſitionem manuum presbyterij.
[q] Ne negligas gratiã quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per oraculum cum impoſitione manuum presbyterij.
[r] In memoriam tibi reuoco, vt ſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt per impoſitionẽ manuum mearum.
[s] Quis ille diues qui ſeruetur.
[t] Epiſcopos,

per Aſiam [u] κατέστησε, alibi, [x] κλῆρον ἐκλήρωσε τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων. Vbi verò de tractandis pecuniis agebatur, Apoſtoli quo eſſent [y] ἀνυποπτότεροι, iubent [z] τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν ἐπισκέψαι idoneos homines quos Viduarum curæ imponerent. Et Paulus Tito miſſo ad colligendam [a] τῆς ἀγάπης ἔνδειξιν ſocium voluit adiungi, [b] χειροτονηθέντα ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, ratione addita, [c] μή τις ἡμᾶς μωμήσηται ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν. Nulla ergo certa lex electionis fuit in prima Eccleſia, niſi vt ſeruaretur aliqua [d] εὐταξία, & fierent omnia [e] πρὸς οἰκοδομήν. Deiectus hoc præſidio, eò fortè confugies, vt dicas Principes electionem habuiſſe non iure ſuo, ſed beneficio alieno, aut Eccleſiæ, aut [f] τῶν προεστώτων. At negabunt hoc illi omnes. Pro Rege Galliæ negabit optimus iuris regij vindex Seruinus in libro quem Vindicias ſecundum libertatem Eccleſiæ Gallicanæ & Regij ſtatus inſcripſit. Negabit & Marſilius Patauinus. *Amplius*, inquit, *propoſita de miniſtrorum Eccleſiaſticorum inſtitutione ac temporalium ſeu beneficiorum diſtributione, vel collatione, oſtendere volo, auctoritate Catholicorum Franciæ Regum non ſpernenda, ſed potius attendenda. Aſſerunt enim ipſi de iure (quod de facto vſque in hoc præſens tempus volunt & faciunt immutabiliter obſeruari) aliquorum officiorum Ec-*

u Conſtituit.
x Clerum legit ex iis quos Spiritus indicauerat.
y Immuniores à ſuſpicione.
z Multitudinem diſcipulorũ diſpicere.
a Demonſtrationem charitatis.
b Electum ab Eccleſiis.
c Ne quis nos culpet in vbertate hac quæ à nobis adminiſtratur.
d Ordinis rectitudo.
e Ad ædificationem.
f Eorum qui Eccleſiæ præſunt.

cleſiaſticorum & temporalium ſeu beneficiorum ad ſe ſic pertinere auctoritatem inſtitutionis & diſtributionis, vt à nemine ſingulari perſona vel Collegio mortalium cuiuscumque conditionis exiſtat in ipſos aut ad ipſos hæc autoritas deriuetur. Non enim lege diuina prohibitus eſt Legiſlator aut Princeps ab horũ inſtitutione, collatione, ſeu diſtributione. Negabit pro Rege Angliæ Rex ipſe, imò contrà tibi dicet, Siquis Patriarcha, ſiquis clerus, ſiquis alius ius vnquam habuit conferendi paſtorale munus in Eccleſia publica, id ius à Principibus ortum, Principibus deberi, Principibus ſubeſſe. Sciunt enim inter regalia eſſe, diſtributionem officiorum. Pontifices ſanè quidam hanc artem habuere, vt quod eripere non potuerant, id velut datum imputarent: ſed iſta ſibi perſuaderi noſtrorum temporum ſecta non patitur. Poſtremum eſt, vt dicas, alibi ita ius eſſe, apud nos non item. Itane verò? At neceſſe eſt, aut diuino iure definitum ſit, quis eligere debeat, aut humano. Si id diuino iure definitum eſt, non poteſt alia eſſe Galliæ & Angliæ, alia Batauiæ ratio. Aut vbique in publica Eccleſia tuis preſbyteris electio debetur, aut nuſquam: ſin iſta res iuris eſt humani, ſcire te oportuit illud Auguſtini, *Iura humana iura Imperatorum ſunt.* Et illud, *Imperator non eſt ſubiectus legibus ſuis, qui habet in po-*

in poteſtate alias leges ferre: Quod & alibi doctiſſimus Pater ita explicat. *Regi licet in ciuitate in qua regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quiſquam, nec ipſe vnquam iuſſerat, & non contra ſocietatem ciuitatis ei obtemperatur: imò contra ſocietatem non obtemperatur: generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ, obedire Regibus.* Electiones in Gallia ſæpius fuere penes certa Collegia; ſed reuocatæ ſunt ad Reges: fuere & in Anglia; item ſunt reuocatæ: quia aduerſus ea quæ propriè ad ſummum Imperium pertinent, nulla eſt vis qualiſcumque poſſeſſionis, nulla conſuetudinis: & priuilegia quoque à ſe conceſſa moderari ita Principes debent, ne quid inde ad Rempublicam detrimenti accedat. Hæc oſtenderent fruſtrà à te dici quæ dicis, etiamſi vera diceres. Nunc oſtendam ijs quæ dicis nihil potuiſſe falſius dici. *Populus,* inquis, *à Majoribus acceperat ius vocandi Paſtores ſuos ac ſacrorum Miniſtros: in hac poſſeſſione populus permanſerat: nec hoc Hiſpaniarum Rex ad vltima vſque pacis tempora ſuſtulerat.* Loqueris autem non peculiariter de Friſiis tuis, ſed de *qualibet Eccleſia in his Belgicæ ſocietatis Prouinciis.* Agnoſce tua verba. Ego contra tibi dico commentitium eſſe hoc omne; & ſi ſponte tua iſta protuliſti, præfi-

dentem te eſſe: ſi aliis ſuggerentibus, ſupinè credulum. Mos quippe à Maioribus noſtris traditus hic fuit, vt omnibus parœciis non populus, ſed Princeps paſtores daret: niſi qui fortè homines aut cœtus dotando Eccleſiam aut alioqui ex gratia Principum ius idem peculiariter accipere meruiſſent. Ex diplomate Theodorici Hollandiæ Comitis, quod Anno MLXXXIII. monaſterio Egmundenſi datum priſcas Principum liberalitates complectitur, apparet, Arnulphum, qui Hollandiæ Comitum tertius numeratur, contuliſſe eidem monaſterio Eccleſiam in Flardinga cum decimatione terrę: Theodericum autem fratrem Walgeri, qui Comitum primus cenſetur, donaſſe Eccleſiam in Forenholte, itidem cum decimatione: vnde colligitur, non minus antiquum eſſe ius Comitum in Eccleſias quam ſit ipſe Comitatus. Anno verò CIↃ CCLVIII. Florentius Hollandiæ Comes confert Commendatori & Fratribus domus Teutonicæ ius patronatus Eccleſiæ de Leyden. Anno CIↃ CCLXXIV. ius patronatus Eccleſiæ Nord-monaſterienſis Middelburgi datum à Principe Fratribns Teutonicis in Santuordia. Et quũ Anno CIↃ CCXCIX. Ioannes Weſtfriſiæ Genti leges conderet, id quoque nominatim expreſſit; ſibi ſuiſque ſucceſſoribus deberi ius conferendi omnes in Weſtfriſia Eccleſias,

ſias, niſi Traiectini Antiſtites, aut Abbas Egmundanus ius tale ad ſe pertinere legitimè docerent. Wilhelmus autem Hannoniæ & Hollandię Comes Anno CIↃ CCCXII. ius patronatus Eccleſiæ parœcialis oppidi de Zierixzee ad ſe pertinere pronuncians, quum anteà quatuor illic fuiſſent presbyteri curati, quos vocant, in poſterum vt octo eſſent conſtituit. Idē Anno CIↃ CCCXXVIII. Middelburgenſibus promiſit, quoties vacaret Eccleſia Weſtmonaſterienſis eodem in oppido, ſi quem ipſi virum iuſtum ac probum commendarent ad eius Eccleſiæ curam, eumque Comes reperiret Eccleſiæ & ciuitati vtilem, ita vt recta cum animi conſcientia mandare illi poſſit id muneris, non alij ſe potiùs Eccleſiam commiſſurum. Sic & Dordracenſis Eccleſiæ curas à ſe mandari more maiorum Albertus Bauarus Anno CIↃ CCCLXVI. profitetur. Atque infinita poſſunt ſimilia exempla, tum vetera, tum recentiora produci: quod eo minus neceſſe eſt, quum in libris publicis quibus inſcripta ſunt iura ac poſſeſſiones Principum, index exſtat earum Eccleſiarum quas Comes Hollandiæ, aut qui eius nomine Hollandiam regit, conferre ſit ſolitus. Philippus verò de Leidis noſtræ gentis Iuriſconſultus, qui Wilhelmi Albertique Bauari temporibus vixit, eo in libro quem de Reipublicæ cura ſcri-

pſit ex Codicis Iuſtinianei Conſtitutionibus, vt rem magni momenti annotat, Imperatores nomine ſubditorum etiam Eccleſias complecti. Tanti autem facit ius illud Eccleſias conferendi, vt ſentiat, *Si Princeps ius nominandi aut præſentandi, vt loquuntur, ciuitati aut Collegio alicui concedat, ita vt neceſſariò nominationi debeat conſentire, non valere eiuſmodi priuilegium, vt ſeruitutem Reipublicæ impoſitam, qua impediatur Princeps conſulere benè merentibus. Et iſta,* addit, *via ſubditi & membra capiti præferuntur, & honor Principis diminuitur, & ſcinditur imperium.* Mediis temporibus inter Bauarorum & Auſtriacorum Principatum, ius idem obtinuiſſe, facillimum ſit probatu. Sed res eſt plena tędij. Vnum tibi Caroli Quinti Cæſaris Edictum proponam, ex quo duo probãtur, & ius Principis in eligendis Paſtoribus ab vltima antiquitate venire, & ad extrema vſq; tempora fuiſſe continuatum. CAROLVS DEI GRATIA *electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Hiſpaniæ, &c. Comes Hollandiæ, Zelandiæ, &c. primo apparitori, viatori, aut armigero Cameræ conſilij noſtri in Hollandia, Salutem. Quum ad noſtram notitiam peruenerit, in ditionibus ac comitatu Hollandiæ & Friſiæ multa beneficia, vt* ECCLESIAS, *Præbendas Canonicales, Vicarias, etiam officia & cuſtodias, quorum*

rum alia ad noſtram collationem, præſentationem, & diſpoſitionem ſpectant, alia verò ad collationem Præfecti noſtri in dictis regionibus, conuenienter Edictis ea de re iampridem factis, nobis inſciis ac ſine noſtra aut Præfectorum noſtrorum collatione, præſentatione, & diſpoſitione poßideri: quædam etiam beneficia & cuſtodias ſpectantes ad noſtram aut Præfecti noſtri collationem, præſentationem & diſpoſitionem, ab aliis collata eſſe, & quotidie conferri, in diminutionem noſtri iuris ac Celſitudinis: Nos volentes ei rei occurrere, & iura noſtra ac Celſitudinem tueri ac defendere, præcipimus tibi atque imperamus, vt proficiſcaris per dictas regiones ad locos omnes vbicumque neceſſe erit, & tibi videbitur oportere: atque ibi noſtro nomine palàm in Eccleſiis publices atque præcipias; vt quicumque beneficia aliqua, puta ECCLESIAS, *Prabendas Canonicales, Vicarias, aut officia aliqua atque cuſtodias poſſidet, iiſque fungitur, aut ſuo aut alieno nomine, titulos ſuos aut exempla eorum authentica intrà menſem à publicatione feratue mittatue, ita vt certò perueniant in manus fidelis atque cariſſimi nobis Magiſtri Arnoldi Sandelijn, Graphiarij dictæ Cameræ Conſilij in Hollandia: quem nos eam ad rem delegauimus, vt per eum referantur in Codicem, nobiſque tranſmittantur, ſub pœna & comminatione, futurum, vt ſi quis in mora ſit, atque vlla beneficia, officia, aut cuſtodias reperia-*

O *tur*

tur poſsidere, quorum titulos modo ante dicto non tradiderit, nos elapſo illo tempore procedamus ad nouam collationem & præſentationem in vſum eius cui viſum nobis fuerit, ne iura noſtra atque Celſitudo minuantur. Cuius rei poteſtatem tibi damus & mandatum ſpeciale. Significamus igitur atque imperamus omnibus noſtris officiariis, iuſtitiarijs, & ſubditis, vt tibi in hoc negotio auxilio ſint atque obediant; neque id prætermittant vllo modo, in quantum iram noſtram metuunt, & omne id, quod adverſus nos poſſunt delinquendo amittere. Datum ſub ſigillo noſtro feudali, quo in terris Hollandiæ vtimur hic inferius impreſſo. XII. die Septembris Anni CIↃ IↃ XXIV. Nec quicquam in hoc iure mutarunt aut Carolus aut Philippus, minimè quippe [ff] δημολικοὶ nec vel minimum remittere ſoliti eorum quæ ad vim imperij pertinerent. Itaque ante bellum nuper exortum, qui ipſorum nomine his terris præſidebant, ijdem & parœciarum curam ſuo arbitrio ad eos detulere quos idoneos putabant. Qui modò ſcribebas, *gratias te Regi acturum, niſi erubuiſſes in ipſius venire conſpectum:* nunc an non erubeſcis, deprehenſus tam manifeſtæ [g] ψευδολογίας, & quidem accuſator, à quo nihil non compertum afferri oportuit: præſertim quum non priuatum aliquem, ſed ipſos Hollandiæ Ordines velut ad ſe trahentes ea quæ alieni ſunt,

ff Plebicolæ.

g Falſiloquentia.

ni ſunt iuris, accuſandos ſuſceperis, idque apud Archiepiſcopum, imò (ſi rem ſpectamus) apud ipſum Regem? Habes de Parœciis, nec dubie idẽ fuiſſet obſeruandum in mandanda Diœceſi, ſiquidem tota Diœceſis Traiectina ad quam pertinebat pars Geldrię, Hollandiæ, Zelandiæ, Traiectina regio, Friſia, Tranſiſalana & Gruningana, ſemper ſub vnius Principis fuiſſet imperio. Willebrodum Epiſcopum (is ordine primus numeratur) Pipinus miſit, teſte Sigeberto. Fridericum (is eſt in Catalogo octauus) Epiſcopum fecit Ludouicus Pius, vt eſt in Annalibus Eparchij. Rex Conradus Salicus Bernulpho (is vigeſimus recenſetur) tradidit ſtatim Epiſcopatum, quum ab ipſo de vxoris puerperio felicem nuntium accepiſſet, narrante Ioanne Beca. Mos autem ſolennis eius ſeculi in conferendo hoc Epiſcopatu non minùs quam aliis is erat, vt electus Antiſtes è Regiis manibus acciperet pedũ paſtorale, & annulum. Conradus verò Sueuus itidem Imperator Anno CIↃ CXLV. eo in diplomate cui Eugenius quoque tertius Romanus Pontifex ſubſcripſit, his verbis vtitur. *Ius eligendi & inſtituendi Epiſcopum in ipſa Eccleſia* (agit autem de Traiectina) *ad Reges Romanos & Imperatores pertinere dignoſcitur, & ab anteceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus vſque ad noſtra tempora eſt deuolutum,*

& deductum. Et quanquam eodem diplomate ius eligendi Epiſcopum concedatur Præpoſito, Decano, & Capitulo duarum Eccleſiarum, non ita tamen abdicatum à Regibus ius omne, vt nō magnam in approbanda aut rejicienda electione auctoritatē ſibi reſeruauerint, vel hinc appareat, quod aliquanto poſt, anno nimirum CIↃ CXCVI. Henricus Imperator orto inter Electores diſſidio, Theodorico de Hollādia cognato ſuo per annulum & baculum contulit Epiſcopatus inueſtituram. Quo minus in ſolidum hoc ius Regum Comites ſuccederēt, illud vt dicere cœperamus, obſtitit, quod tota Diœceſis illorum ditionis non fuit. Attamen ſicut Hollandiæ Comitum multū intererat quis eā Cathedram obtineret, ita ſemper operam dedere omnem, vt in eligendo Epiſcopo ſua potiſſimum ſuffragia valerent. Itaque Anno CIↃ CL. inter plures candidatos Hermannus Hornanus facilè præualuit, fretus, vt inquit Heda, auctoritate Comitis Hollandiæ. Similiter Beca teſtatur, Anno CIↃ CCII. Othonem de Geldria, Anno CIↃ CCV. Othonem de Lippia, Anno CIↃ CCXXV. Willebrandum de Oldenburch. Anno CIↃ CCXXIX. Othonē de Hollandia, Anno CIↃ CCCXXII. Iacobum de Amſterhorn, Anno CIↃ CCCXII. Ioannē de Dieſt, omnes Hollandiæ Comitū gratia ſuffultos ad Epiſcopalē dignitatem
peruenisſē

peruenisse. Quanti autē hocipſum fecerint Comites Hollādiæ ex fœderibus quoq; apparet quę cum ciuitate Traiectina iniere, quibus illud imprimis conuenit, vt cui ad Epiſcopatum Comes ſuffragaretur, eidē ciuitas ſtuderet. Reliqui quoq; temporis hiſtoriā euoluenti vbiq; occurret in eligendo Epiſcopo prope ſemper Comitis Hollādię voto obſecundatum. Quanquam & Geldrię Principes, quia pars quoq; ipſorum imperij Diœceſeos erat Traiectinę, ſæpè effecerunt, vt eorum quos ipſi cōmendabāt, ratio haberetur. Viciſſim demotos etiā Pontificatu ſuo Epiſcopos auctoritate Principum accedente inuenias. Anno enim CIↃ CCXLIX. Wilhelmus Rex Romanorū & Hollandiæ Princeps Synodum conuocauit, quæ de moribꝰ Goſuini Amſtelij Epiſcopi cognoſceret. Euentus is fuit, vt Goſuinus abdicaret ſe Epiſcopatu aut, vt loquuntur hiſtorici, *renunciaret ei in manus Regis*. Mox Anno CIↃCCLXVII. Florentius Comes alteri Synodo interfuit, qua Ioānes Naſſauus antiſtitio demotus eſt. Atq; hæc quidē ita obſeruata ſunt, etiam quum nō eſſet vnus totius Diœceſeos Princeps, imò quū vrbs ipſa Trajectū cum vicino agro atq; oppidis Principē haberet ipſum Epiſcopū. Carolus V. hunc Epiſcopalem Principatum ſibi annexuit. Philippus verò aliud inſuper pręſidiū addendum iudicauit principali

potentiæ, nequis extra ſuum imperium Antiſtes vllam haberet Eccleſiarum quæ ſui eſſent imperij inſpectionem. Qua de cauſſa à Pontificibus Romanis, quorum iam potentia ad ſummum excreuerat, impetrauit, vt Epiſcopatus Traiectinus Metropolitani ius ac dignitatem acciperet, liberque eſſet à Colonienſis Archiepiſcopi cura ſuperiore: ſimulque aliis inſtitutis Epiſcopatibus qui Traiectino ſubeſſent, illud imprimis cauit, vt Epiſcopum ipſe nominaret: eam nominationem Pontifex ratam haberet. Hinc eſt, quod quum Concilium Tridentinum ſeſſione XXIV. Tit. II. De reformatione capite II. decreuiſſet, ab Epiſcopis eligendum Metropolitam, Senatus Hollandiæ inter cætera quæ eo in Concilio minus probabat, hæc quoque verba annotauerit: *Videtur hic excludi auctoritas Regiæ Majeſtatis, quæ conſueuit his in partibus ex tribus aut pluribus electis ad Epiſcopatum vel Prælaturam vnum aliquem nominare quem ſummus Pontifex confirmet, niſi forte conſueta auctoritas ſuæ Majeſtati conſeruata cenſeatur per clauſulam, omnes verò & ſingulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumq; ius à ſede Apoſtolica vel aliàs habent.* Et hæc quidem de iure ſummæ poteſtatis circa electiones tum alibi, tum in noſtra patria, dicta ſufficiant. Interim non immeritò & hoc miretur aliquis, à

Sibrando electiones quas populi ius vult eſſe, ſoli tamen preſbyterio adſcribi, quæ perquam exigua populi eſt portio: Notarunt viri prudentes, inter plurimas artes Pontificum Romanorum hanc fuiſſe non minimam, quod electiones ſolius Cleri eſſe voluerit, quum & primis temporibus, quandiu Pagani fuere Imperatores, & poſteà quoq; in iis Eccleſiis quas infra ſuam curam Principes ponebant, Laïci, præſertim honoratiores in partem venerint. Cyprianus à plebe Paſtorem ait eligi. Electus eſt Chryſoſtomus [b] *ψηφίσματι κοινῷ ὁμοῦ πάντων, κλήρου τε καὶ λαοῦ*. Iuſtinianus iubet ad Epiſcoporum electionem conuenire clericos [i] *καὶ τῶν πρώτους τῆς πόλεως*. In ipſis Canonibus Romanis qui circa tempora Leonis primi Pōtificis ſunt editi, requiritur iuxtà Clericorum electionem honoratorum quoque arbitrium: aut, vt alibi dicit Leo, conſenſus ordinis, hoc eſt, Decurionum: Et paſſim in deſignandis Epiſcopis fit Cleri & populi mentio. Et in Capitulis Caroli Magni eſt, *Si Laïci Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos, ſuiſque in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione eos reÿciant.* Gelaſius quoque electionem Epiſcopi improbat, vt à paucis & tenuibus factam. Ex quibus locis aliiſque permultis apparet, præter id ius quod ſummæ poteſtati cō-

[b] *Decreto communi & Cleri & populi.*

[i] *Primores urbis.*

petebat, etiam vrbis cuiuſque Magiſtratus ſolitos electionibus adhiberi. Dicet fortè aliquis, populi ius omne delatum presbyterio. Sed eius mihi rei [i] ψήφισμα velim oſtendi. Nam id niſi probetur, communis ratio potius docet, populi iura in eum tranſlata qui populo imperat. Certè Profeſſoris erat hoc cogitare, qui formatores Paſtorum creant, ab iiſdem Paſtores creari poſſe, ſine inuidia. Sed fortè, ſi Paſtores eligere ad Magiſtratum pertinet, [k] συνέδροις ſaltem illos ſuos quos presbyteros vocant, vtpote ſuum [l] εὕρημα eligere ipſi paſtores ac presbyteri debebunt. Imò hos multò etiam minus ſi Bilſono credimus, qui poſtquam multa de illis presbyteris eruditè diſſeruit, *Scio*, inquit, *recentes quoſdam Theologos, nec indoctos eos quidem perſecutione laborantes, aut in populari aut libero ſtatu viuentes hanc adminiſtrandæ Eccleſiæ per Laïcos ſeniores eodem iure cum Paſtoribus coniunctos, rationem laudaſſe. Quemadmodum verò hæc eorum opinio ad diuini verbi examen probari poſſit, neſcire me profiteor, niſi ſi presbyterij iſtius auctoritatem tempore perſecutionis ab Eccleſia vniuerſa, pacis verò à pio Magiſtratu mutuari velint*. Hæc quæ dicit de presbyteris, hoc eſt velut alteris Decurionibus, eum dicturum quid credimus, ſi noſtros illos noſſet Interreges, quos legatos Synodi vocant, qui dum Synodus non habetur

[i] *Plebiſcitum.*

[k] *Aſſeſſoribus.*

[l] *Repertum.*

habetur ipſi ſe pro Synodo gerunt? Quod verò ait Sibrandus, non intercedere ſe, quominus & ex Magiſtratibus quidam presbyteri fiant, non caret id fortè ratione: ſed tamen ſuſpectum eſt multis, qui aiunt, etiam à Pontifice Principum filios & cognatos in Cardinalium Collegium adſciſci, aut creari Epiſcopos; neque id ad deminutionem Eccleſiaſticæ potentiæ facere, ſed multò magis ad eius augmentum pertinere. Circa Synodos ergo & electiones quanto minora Sibrandus, & qui cum ipſo ſentiunt (ſunt autem nimis multi) prǽcelſis Ordinibus tribuant, quam aut ratio præcipit, aut Chriſtiani Principes ſibi deberi iudicauerint, quantumque à vero abeat, quum Paſtorum conſtitutionem ad populi iura dicit pertinere, diutius demonſtrari opus eſſe non arbitror. In tranſcurſu illud addam, ſi purgare ſe tota Puritaniſmi ſuſpicione voluit, non debuiſſe ab ipſo auctoritatis publicę in rebus Eccleſiaſticis hęc duo duntaxat capita ſtatui, quum ſint & alia, nec minoris fortè momenti. Diſputatur enim etiam ferendis de legibus ad conſtituẽdam Eccleſiæ [m] πολιτείαν. Mihi conſtat, eſſe qui præfractè negent, nomine ſummi Magiſtratus ferri eas aut publicari debere, ſed Eccleſiæ nomen præſcribendum: Magiſtratui ſufficere debere, ſi decreta approbet. Quid autem eſt in Re-

[m] *Gubernationem externam.*

P publi-

publica aliam Rempublicam facere, ſi hoc non eſt? Qui ita præſcribunt ſummis poteſtatibus, deleant primùm tot Imperatorum leges ex Codice Theodoſiano, plures etiam ex Iuſtinianeo, & Nouellis conſtitutionibus, deleant Capitula Caroli Magni & Ludouici de rebus Eccleſiaſticis: vt omni antiquitatis memoria ſublata, quod volunt nobis perſuadeant. Nam quod de approbatione aiunt, eſt id ſanè exiguum, vtpote quod tunc etiam quum grauiſſima fuit Pontificum dominatio, magna ex parte Principes retinuerunt. Nam nulla decreta, nulla reſcripta Pōtificum vim habere voluerunt ſuis in territoriis, niſi ipſi priùs viſa illa atque perpenſa placere ſibi reſpondiſſent. Quæ confirmatoriæ Principum literæ vt in Gallia *Pareatis* appellantur, ita apud nos nomen *Placet* accepere. Hoc verò ius moribus vſurpatum antiquitùs quò clarius atq. conſpectius foret, Carolus Cæſar & mandatis publicis quæ Anno CIↃ IↃ XXXI. Senatui Hollandiæ dedit, & edicto Anni CIↃ IↃ XLV. inferuit. Imò ipſa acta Concilij Tridentini Rex Philippus publicari ſua non Pontificis auctoritate voluit, & addita palàm exceptione, *ne quid ius ſuum ſubditorumue ſuorum eo deterius fieret*. Deinde ne hoc quidem prætermittere Sibrandus debuit, ad curam [n] τῶν ἐν ὑπεροχῇ etiam illud pertinere, ne quis

[n] Eorum qui poteſtate eminent.

per

per ſpeciem iudicij Eccleſiaſtici iniuria afficiatur; quod interdum fieri certiſſimum eſt. Oſtendimus hoc ius Magiſtratuum à Beza agnoſci, & quæ de Synodalium decretorum recognitione diximus, aptari huc non incommodè poſſunt. Ne id quidem ſi largiantur, ſuſpectam habere debent ſuam liberalitatem, quum inter illos ipſos qui Pontifici ſeruiunt Imperatores olim & nuper Veneti exorbitanti cenſuræ habenas adduxerint. Nam de Gallis quid dicam? apud quos protritum eſt remedium, appellatio ab abuſu ad Senatum, quoties notio Eccleſiaſtica à recto tramite aberrat. Ne noſtri quidem Principes, quanquam vt ferebat ſeculum faſcinati ſuperſtitione, ita tamen delirarunt, vt iſta Eccleſiæ quę dicuntur iudicia voluerint eſſe ° ἀνυπεύθυνα. Poſſum proferre reſcripta complura Principum, Annorũ CIↃ CCCCXI. CIↃ CCCCXV. CIↃ CCCCXVIII. & deinceps, quibus vetantur Sacerdotes parere interdictis, iubentur excommunicationem iniquam demere, addita comminatione pœnarum aduerſus contumaces. Poſteà Maximiliani & Caroli Auſtriacorum edicto cautum eſt, ne hi qui diebus Dominicis permiſſu magiſtratum opus aliquod faciunt, notam vllam Eccleſiaſticam propterea ſuſtineant. Idem continetur in mandatis quæ Carolus Imperator iudicibus ſuis

° Examinis immunia.

dedit. Sed locupletiorem moris antiquiſſimi teſtem habere non poſſumus ipſo Hollandiæ Senatu, qui ad illa verba Cōcilij Tridentini ſeſſione XXV. ſuper Reformatione, capite III. *Nefas autem ſit ſeculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici ne quem excommunicet, aut mandare vt latam excommunicationem reuocet, quum non ad ſeculares ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat*, ſic annotauit: *Quum Curia Hollandiæ ex concordatis & bulla Leonis decimi atque adeò ex inueterato vſu conſuerit in caſu oppreſſionis decernere mandata pœnalia etiam aduerſus Cenſuras Eccleſiaſticas, cauendum eſt, ne hoc decreto quicquam ſtatuatur cōtra prædicta concordata, indultum, & olim receptam conſuetudinem.* Merentur ſanè poteſtates quæ Eccleſiæ liberandæ dederunt operam, meliore aliquanto in loco nunc eſſe, quam olim erant, quum grauiſſimo iugo premerentur, de quo verè dici poteſt, neque nos, neque Maiores noſtros ei ferendo fuiſſe. Actum eſt hactenus de primo illo capite Puritaniſmi, cuius ſe ſuique ſimiles accuſari Sibrandus conqueritur: qua in re credamus ſanè illi factam iniuriam, ſi non partem magnam eius auctoritatis quæ ſummi Magiſtratus ſibi in Eccleſia vindicarunt malefidis vocibus aut ſilentio diſſimulauerit, partem etiam alienis à vero narrationibus co-

natus

natus ſit extorquere. Nunc ad alteram partem venio; quæ eſt de dignitatum Eccleſiaſticarum gradibus. Hic quod præcipuum erat controuerſiæ totum præteruehitur. Notum eſt quid tueantur rigidi illi p τῆς ἰσοτιμίας defenſores: nempe, omnes Paſtores ex legis diuinæ præcepto pares inter ſe eſſe debere. Contra Anglicana Eccleſia ſentit ex Apoſtolico inſtituto quoſdam fuiſſe præpoſitos cæteris qui Epiſcopi propriè vocarentur: neque mala ratione introductum, vt etiam pluribus Epiſcopis vnus emineret, qui Archiepiſcopus diceretur. Hac de quæſtione quum acriter vir doctiſſimus Beza contra Sarauiam diſputaſſet, memini me magni nominis in Lugdunenſi Academia Profeſſorem dicentem audire, ſe non eum eſſe, qui damnare auderet quicquam eorum quæ ſciret placuiſſe Synodo Nicęnæ primæ: neque tamen tutum ſatis eſſe hoc eloqui, ob maligna quædam ingenia. Puritani in Anglia ferunt quidem Epiſcopos (nec enim aliter poſſunt) ſed tamen diſcrimen illud dignitatum improbant. Quæritur, Sibrandus cum ſua cohorte, vtris accedat? Multis verbis deſcribit ac commendat noſtrarum Eccleſiarum conſtitutionem. In ea Epiſcopi nuſquam. Preſbyteri qui olim dicebãtur, hi vocantur Miniſtri, quod Græ-

p *Aequalitatis dignitatum.*

cè eſſet Diaconi. Synedri autem annales preſbyterorum nomen accipiunt. Oſtendit tamen non ita ſe iracundum, quin cum ijs qui alio vtuntur ordine conſenſum in doctrina poſſit ſeruare. Ratio ſequitur, *quia alij aliorum infirmitates ferre debemus*. Addit hoc [q] ἐπίμετρον, etiam reuerenter à ſe coli Epiſcopos. Hic quid Sibrandus ſentiat diuinare non poſſum. Illud quidem video, potuiſſe ab ipſo præteriri criminationem, cui tam frigidè erat reſponſurus. Nam quid dicit, quod non diceret, [r] τῶν καθαρῶν καθαρώτατος? Illi etiam Epiſcopis fortè obuiis honorem exhibent: puto etiam, ſi qua in re Epiſcopis vtendum habeant, non parcere ipſorum operæ. Conſenſum in doctrina retinent aliqua ſaltem ex parte. Infirmitatem tamen hanc putant eſſe magnam, quod Eccleſiæ regantur per Epiſcopos. Quid boni multi in noſtræ Eccleſiæ regimine deſiderent, quibus modis putent vitia ad [ſ] ἀναρχίαν accedentia commodiſſimè poſſe ſanari, diſſerere hic non inſtitui. Neq; tamen me contineo, quin fontem & originem tum huius tum aliarum [t] πλημμελειῶν indicem. Exiſtimamus tanto nos puriores fore, quanto longius ab omnibus Eccleſiæ Romanæ inſtitutis receſſerimus, nullo diſcrimine: neque volumus animaduertere, inter multos illius corporis morbos aliquas tamen manſiſſe

ſanioris

q *Auctuarium.*

r *Puritanorum puritaniſſimus.*

ſ *Confuſionem ordinis atque imperij.*

t *Incuriarum.*

ſanioris æui reliquias,

Exceſſit medicina modum, nimiumq́ſecuta eſt
Quà morbi duxere, manus.

Hæc qui dicunt & dicenda dolent, non magis propterea putandi ſunt [u] παπίζειν quam tota Angliæ Eccleſia, cuius emendatio quum non priuato impetu, ſed conſilio publico ſuſcepta ſit, eum modum ſecuta eſt, vt tollenda ſuſtulerit, relictis ijs quæ ſine impietate ac ſuperſtitione relinqui poterant. Sibrandus quo faciliorem victoriam habeat, fingit ſibi aduerſarium obijcientem, quod Miniſtri Eccleſiaſticos ordines in Belgio abrogauerint. Confundit autem quæſtiones duas, quarum prior eſt, quis eos de reformata Eccleſia ſuſtulerit: poſterior, quis effecerit, vt ne in Republica quidem exſtarent. Hæc duo inter ſe permiſcet, & ſi qua eſt ea in re culpa, eam à Miniſtris amouet, Reip. autem Rectoribus imponit, quos Politicos vocat. Eos verò qui contrà dicunt, aut ignaros eſſe ait rerum noſtratium, aut vim facere cõſcientiæ ſuæ. Ego verò planum faciam, horum alterum in ipſum cadere. Quæro ergo, ante Ordinũ Imperium, ſub Regis Philippi Principatu an Eccleſia reformata Epiſcopos habuerit? non habuit. At erat ſub cruce, inquis. Nihil hoc ad rem facit: nam & ante Conſtantinum ſub cruce fuit Chriſti Eccleſia: atta-

[u] *ad Papiſmum vergere.*

men Epiſcopis non caruit. Anno demum CIↃIↃ LXXII. arma publica pro legitima libertate ſuſcepta ſunt. Anno eo qui anteceſſerat, Synodus Emdæ eſt habita Eccleſiarum Belgicarum reformationem profitentium. Ibi multa Miniſtri de regendis Eccleſiis decreuere. Primum caput eſt, *Ne Eccleſia vna in alteram, aut Miniſter vnus in alterum dominatum exerceat; imò vt omnes à ſuſpicione quauis & occaſione dominatus ſibi caueant.* Quanquam autem Epiſcopalis eminentia dominatus non eſt, his tamen vocibus eam indicari ſatis manifeſtum eſt, quum in omnibus quæ ſequuntur neque nomen Epiſcopi, neque partes vllæ compareant; quodque Epiſcopi fuerat munus, id tribuatur partim Miniſtris ſingulis partim Claſſiarijs quos vocant cœtibus. Cōſtituto poſteà Ordinum imperio, An vnquam Miniſtri eos interpellarunt, vt Epiſcopos habere ſibi liceret? Imò verò quot fuere Synodi, toties illis ipſis Emdanæ Synodi verbis ſtabilita eſt "ἰσοτιμία: itaque is Canon, velut totius Eccleſiaſticæ gubernationis fundamentum, omnium Canonum initium ſemper fuit. Verè ergo rectéque dicitur Epiſcopatus ex Eccleſia Reformata nō à Politicis quos vocant, ſed à Miniſtris eſſe ſublatos. Sed *è Republica*, inquit Sibrandus, *ipſi Ordines Eccleſiaſticas dignitates ejecere*. Primùm, quid hoc ad illum, quid

" *Aequalitas dignitatum.*

quid ad Miniſtros? De Eccleſia omnis erat quæſtio, cur ad imperium tranſiliunt? Qui de Prophetis Prophetas ſolos vult iudicare, cur de rebus ciuilibus agit Theologus? Sed operæ pretium eſt, videre quam illi infeliciter ceſſerit hæc [x] περιεργία. *Repetendum*, inquit, *eſt paulò altius*. Hiſtoriam orditur. *Status Prouinciarum Belgicarum tribus Ordinibus continebatur: hi erant Eccleſiaſtici, Nobilitas, Ciuitates. Eccleſiaſticus ordo in omnibus conuentibus primum locum tenebat*: & reliqua. Falſum eſt illud, *omnibus*. In Flandriæ cōuentibus nullis locus his quos Eccleſiaſticos dicis. Et vt intrà fines ejus quod nunc eſt Fœderatorum imperij maneamus, ſcis, non contemnendam eius partem eſſe Hollandiam. Nunquam ibi in conuentibus viſi ſunt: neque magis in Geldria aut Tranſiſalana. Audeſne, iſta, qui neſcis, de vetere Reipublicæ noſtræ forma diſſerere? Nimium profectò externæ credulitati confiſus es. Amplius dicam. Si vox Eccleſiaſticorum ſumatur, vt debet, pro iis quibus Eccleſiarum cura commiſſa eſt, nullis in conuentibus Belgij noſtri locum ipſis antiquitùs aut ſuffragium fuiſſe. Non enim Parœciarum Paſtores conueniebant, vt dicere poſſent Miniſtri, ſe eorum in locum ſuccedere debere: ne Epiſcopi quidem: ſed aut Abbates aut Canonici, idque ſola poſſeſſio-

[x] *Curioſitas.*

num ratione. Et Canonici quidem in Traiectina Prouincia, cum poſſeſſionibus ius ſuffragij retinent. Abbates nulli eſſe poſſunt, vbi nulla ſunt monaſteria. Sed hoc nihil ad Paſtores. Notum eſt illud Hieronymi: *Alia Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum: Clerici paſcunt oues, ego paſcor*. Tandem verum dicere incipis: nempe, Quū nouos Epiſcopos Rex Philippus inſtituiſſet, eoſque vellet in conuentus introducere, natas hinc offenſas quę non immeritò inter belli cauſſas numerantur. Adeò illud & nouum erat, & antiquis Belgij moribus contrarium. Eſt & hoc verum: Abbates in Brabantia aliiſque locis fidelem diu operam nauaſſe Ordinum rebus: ſed expulſos hos eſſe ab Ordinibus, meritò negatur. Ipſi poſteà ad Regias partes abiere, cauſſati imprimis Miniſtros non ſatis ducere quod ſuæ religioni libertatem obtinuiſſent, niſi & alienam excluderent. Exſtant ea de re graues illorum querimoniæ, quas nunc nec probare nec refellere, eſt animus. Quiſquis verò hanc Sibrandianæ Epiſtolæ partem diligenter conſiderabit, id videbit agi, vt apud Angliæ Epiſcopos Ordinibus fœderatis inuidia queratur, eo quod à ciuilibus negotiis Miniſtros arceant, quorum in Anglia participes ſunt Epiſcopi. Sed vt demus, miniſtros noſtros eſſe [y] ἰσοταλαντους Epiſcopis, aliud tamen

[y] Æquilibres.

tamen eſt, non rejicere antiquitus admiſſos; aliud patriis inſtitutis prohibitos admittere. Cur ergo toties velut ingens beneficium exprobrat Sibrandus, quod Miniſtri publicis deliberationibus ſe non interponunt? adeóne magnum eſt, non facere, quod facere nec debeas nec poſſis? *Imò ne cupiunt quidem*, inquit, Hoc in vniuerſum ita verum eſſe, ſunt qui non credant. Auditi ſunt enim multi ſæpè expoſtulantes, quod à publicis conuentibus ordo ſuus arceretur: hoc eſt, apertè facientes idem quod hic latenter Sibrandus facit. Nec tamen omnis auctoritas publica in conuentibus conſiſtit: magna poteſtatis pars eſt[z] ἡ ἀρχαιρεσία, quam illi homines multis in locis obliquas per artes in ſe trahunt: & vbi inualuerunt, vindicare etiam ſibi audent. Pars altera non minima eſt[a] ἡ δημαγωγία, quam ſæpiſſimè ad ciuilia negotia extendunt: vtpote delictorum omnium Cenſores, & hac fiducia plebe audiente Magiſtratum conuitiis flagellant. Teſtis eſt Flandria, de qua verè dici poteſt, quod de Græcia olim: periiſſe eam LIBERTATE IMMODICA ET LICENTIA CONCIONVM. Qui ſunt qui Gandaui aliiſque in vrbibus ſapientiſſima Principis Arauſionenſis conſilia diſturbarunt? qui famam ipſius voce ac ſcriptis lacerarunt, palàm prædicantes, nefas eſſe maximum,

z Magiſtratuum electio.

a Poteſtas populum auribus ducendi.

cum vllo Romanæ religionis Principe fœdus aut ſocietatem habere? qui plebem imò plebis infimam fęcem ad imperium vocarunt? Qui ſunt qui poſt eiuſdem Principis mortem hòc palàm, hoc clam egerunt, vt Ordines quam contemtiſſimos redderent, res nouas quærentibus promtiſſimi adiutores? Quo tempore haud immeritò publica Ordinum voce increpiti atque admoniti ſunt, vt contenti Flandriam perdidiſſe, ſub fallaci religionis imagine, quæ ſæpe & perfidiæ obtegumentum præbuit, optimatium imperia detrectando obtrectandoque, perdenda eundem in modum Hollandia abſtinerent. Et tamen paulo poſt, cum alieniſſimo tempore pax cum Hiſpano, imò deditio vrgeretur, fuere illorum ex numero, qui ſummis ſuis poteſtatibus ad auertendum id periculum operam denegarunt, externis autem delatum iuerunt eius negotij arbitrium. Bonos nemo accuſat: ſed iſta qui ſciet, facilè intelliget, eſſe apud nos eiuſmodi ingenia, quibus plus quam neceſſe eſt, haud tutò committas.

Et hæc quidem in præſens pro tuenda Patriæ parentum exiſtimatione dicta ſufficiant. Curam enim exactiorem non permiſit feſtinandi ſtudium, ne inultas calumnias mora aleret. Dolet ſanè nobis, quod iſta cauſſa tractari ſe aliter paſſa non

ſa non eſt, niſi reprehenderentur homines quidam eius ordinis quem & eſſe velim, & apud populum haberi quam ſanctiſſimum. Sed ægrè id non ferent, quorum pietas profeſſioni reſpondet. Ipſe Apoſtolorum cœtus ingens ſcelus intra ſe habuit: nec fruſtrà clamamus, veritatem religionis à Miniſtrorum moribus non pendere. Audiant licet iſta aduerſarij: Si comparatio inſtituenda eſt, non habebunt quod exprobrent. Ac mihi veterem hiſtoriam reuoluenti ſatis apparet, non eſſe propria ſeculi mala quæ nos premunt: vetera ſunt, imò perpetua, & quæ ſæpiùs reciſa ſemper repullulant. Iampridem Eccleſiaſtici & in Oriente & in Occidente regnū quoddam ſacrorum ſibi ſtruere cœperunt: & fauit incepto Principum facilitas, qui rem vt putabant difficilem alienæ conſcientię permittere maluerunt, quam ſuam onerare. Hinc Reipublicæ & Eccleſiæ infelix diuortium, vt res quæque ſuas ſibi haberet. Non alia via inceſſit ille, qui nunc inſtat Regibus, & eorum calcat ceruices quorum genua amplecti ſolebat. Ne illud quidem aut nouum eſt, aut vnius populi malum, de rebus obſcuris ſubtiliter diſputare, & vtram ipſe in partem incideris, eò cuncta trahere, nec diſſidentes pati. Iam olim [b] περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος non neceſſaria admodum controuerſia Gre- [b] De Proceſſione Sãcti Spiritus.

 cam

cam Eccleſiam à Latina diuulſit. Videmus vt & hiſipſis quas nos habemus & aliis inſuper contentionibus Germania diſtrahatur. Nunquam has turbas qui fecere component. Niſi Principum auctoritas ſequeſtram ſe pugnantibus præbeat, res deſperata eſt. Hoc agunt Illuſtriſſimi Ordines: non conuellunt antiquam fidem, non Oecumenicarum Synodorum dogmata reſcindunt; non Pelagium reſuſcitant: non ad Sarmatica portenta conniuent. Chriſtiani ſunt. Catholici manent. Reformati eſſe non deſinunt. Quieſcant tandem ſuſpicaces animæ: & qui longiùs poſiti res noſtras ſola fama accipiunt, ne temerè credant, quæ inclementiùs vulgantur: ſed ex rebus ante geſtis de futuris optima præſumant. Orandus eſt Deus immortalis vt Illuſtriſſimis Ordinibus mentem det diuini humanique iuris intelligentem: det Miniſtris, vt Magiſtratus velut à Deo ſecundos venerentur, & veritatis ſtudium charitate temperent: det populo, vt illis recta imperantibus, his recta docentibus fideliter pareat.

FINIS.